Diss. Breslau
1909
Vict. Muench

DE CLAVSVLIS A VALERIO MAXIMO ADHIBITIS

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AMPLISSIMI

PHILOSOPHORVM VRATISLAVIENSIVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

VNA CVM THESIBVS

DIE XVII MENSIS MAII ANNI MCMIX HORA XI ET DIMIDIA

IN AVLA MVSICA

PVBLICE DEFENDET

VICTOR MVENCH

SILESIVS

ADVERSARII ERVNT

JOS. WOLKO DR. PHIL.

HVB. VOLKMER CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE

TYPIS IMPRESSIT H. FLEISCHMANN

MCMIX

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM RETTVLIT

FRANCISCVS SKVTSCH

EXAMEN RIGOROSVM HABITVM EST DIE XXIV MENSIS FEBRVARII

FRANCISCO SKVTSCH

SACRVM

Permultis illis commentationibus, quae his ultimis annis de numero oratorio scriptae sunt, si meam adiungo, tamen non vereor ne „γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας“ quod aiunt feram. Nam sunt etiam nunc qui iactent sudorem in his rebus frustra esse profusum[1]. Qui cum sibi persuaderi non passi sint eis, quae cum alii tum Mueller, Meyer, Norden, Wolff, Zielinski[2] de clausulis praeclarę exposuerunt, iam id agendum esse videtur, ut quantum clausulae valeant ad scriptorum antiquorum textum genuinum recuperandum demonstretur[3]. Cuius rei exemplum egregium Valerius Maximus praebet. Nam cum de tot eius locis hucusque virorum doctorum sententiae in diversa abierint, iam clausulis detectis novum habemus subsidium, quo usi has controversias dirimamus. Sed priusquam id caput huius opusculi aggrediamur, opus est exponere primum de rhythmi formis, tum de quaestionibus quibusdam prosodiacis, post, quanti momenti clausulae sint in vocabulis eligendis et collocandis.

---

[1]) L. Annaei Senecae naturalium quaestionum libros VIII ed. A. Gercke, Lipsiae 1907, praef. p. XLV; F. Marx Neue Jahrb. f. d. klass. Altert. XXI/II 1908 p. 233.

[2]) E. Mueller „De numero Ciceroniano“ dissert. Berolini 1886; W. Meyer G. G. A. 1893 I 1 sqq.; E. Norden „Die antike Kunstprosa“ Leipzig 1898; J. Wolff „De clausulis Ciceronianis“ dissert. Jahrb. f. klass. Philol. 26. Supplbd. 1901 p. 580 sqq.; Th. Zielinski „Das Clauselgesetz in Ciceros Reden“ Phil. Supplbd. IX, 1904 p. 598 sqq.

[3]) Clausularum in re critica auctoritatem praedicarunt Meyer l. a. p. 26; Norden l. a. II 952; Landgraf Burs. Jahresb. 1902, II 85; F. Skutsch Phil. N. F. XV, 1902 p. 193; W. Kroll Berl. philol. Woch. XXIII, 1903 p. 207; Zielinski l. a. p. 591/2; 774 sqq.

Caput I.

De clausularum formis.

Ex eis, quae viri illi illustrissimi explicaverunt[1], scimus clausulas usitatissimas has esse quattuor

I	— ⏑ —	— ⏓
II	— ⏑ —	— ⏑ ⏓
III	— ⏑ —	— ⏑ — ⏓
IV	— ⏑ —	— ⏑ — ⏑ ⏓

Quae rhythmi genera Valerius quoque plerumque adamat atque ita quidem, ut interdum sicut Cicero pro baseos cretico ponat molossum vel choriambum vel dactylum et in cadenti quae vocatur parte pro trochaeis substituat spondeos. Eodem modo — quamquam multo rarius — quintam, sextam aliasque deinceps formas admittit.

§ 1.

De prima clausula.

Prima clausula has formas habet:

1)	— ⏑ —	— ⏓
2)	— — —	— ⏓
3)	— ⏑ ⏑ —	— ⏓
4)	— ⏑ ⏑	— ⏓

Ac primum perlustremus has formas ipsas, tum exquiramus, qui pedes plenae clausulae praecedere soleant.

A. 1) — ⏑ — — ⏓:

[1]) Cf. p. 5 annot. 2.

9_{24} *eius abscisae īnvĕnīrēntŭr* [1]); 29_{24} *ita vitārĕ nōn pŏtŭĭt*; 48_{23} *ac vera nōn rĕfūgīssĕ*; 244_{14} *salutari pācĕ mūtāvĭt*; 258_{5} *opus lāudĕ cŭmŭlāvĭt*; 454_{24} *qui eum pērsĕcūtī sūnt* [2]). Praeterea 4_{14}; 12_{2}; 39_{15}; 42_{3}; 57_{10}; 58_{10}; 117_{2}; 146_{22}; 155_{30}; 269_{17}; 325_{20}; 338_{14}; 423_{28}; 456_{23} alibi [3]).

2) — — — — ⏓ [4]):

21_{16} *accipere se ōmēn rēspōndĭt*; 95_{1} *constāntēr dēfēndĭt*; 298_{3} *autem nōmēn sūpprēssĭt*; 354_{2} *vehemēntēr cōnfūdĭt*; 453_{3} *Iasonem ĭntērfēcērūnt.*

3) — ⏑ ⏑ — — ⏒:

3_{14} *summum īmpĕrĭūm cēssĭt*; 67_{20} *resīstĕrĕ nōn pōssēnt*; 93_{5} *Romano īmpĕrĭō pĕpĕrĭt*; 438_{6} *consciēntĭă nōn dēsĭt*; 450_{25} *magna ex parte īncŏlŭmēs ēssēnt.*

4) — ⏑ ⏑ — ⏒ [5]):

130_{22} *cupiditatem īngĕnĕrāvĭt*; 135_{18} *senatus āmplĭfĭcāvĭt*; 361_{16} *iuris pōllŭērēntŭr*; 426_{24} *sustinere nōn pŏtŭērūnt*; 430_{3} *muris prăecĭpĭtāvĭt.*

B. Iam vero nobis ostendendum est creticum vel molossum vel choriambum vel dactylum persaepe primae clausulae antecedere.

1) Saepissime Valerius creticum vel complures creticos praemittit; cui rei sint documento hi loci:

46_{15} *cērnĭmūs cōllŏcāvērūnt*; 51_{27} *concubitūm vŏlūntārĭā mōrtĕ pēnsārūnt*; 154_{14} *sufficere ad exērcĭtūs cōmpărāndōs vĭdēbātŭr*; 400_{5} *ēffĭcācīssĭmōs cŏrpŏrĭs mōtūs*; 142_{7} *cānthărō sēmpēr pōtāvĭt*; 191_{22} *pūblĭcē sūccūrrēbātŭr*; 228_{17} *occupāvĕrānt prăesĭdĭūm fērrēnt*; 274_{12} *domēstĭcās dēlĭcĭās ēmĕrēnt*; 47_{7}

---

[1]) Numeri significant paginas et versus editionis Valerianae, quam curavit Carolus Kempf, Lipsiae 1888.

[2]) De hac clausula lege ea, quae Wolffius l. a. p. 671 de enclisi vocabuli ‚esse‘ exposuit.

[3]) Cum longum sit omnia exempla enumerare, ubique nonnulla e Valerio hic atque illic electa proferimus.

[4]) Cf. p. 23 γ.

[5]) Dactylicam basin pro cretica etiam in prima clausula nonnunquam postulandam esse cum loci, quos supra allaturi sumus, tum ea, quae p. 19 sqq. exponemus, demonstrabunt.

Rōmānŭs ēxērcĭtūs vīctŏr ăbībĭt; 90_{18} *ōrdĭnēm prōpŏsŭērūnt*; 48_{17} *āltĕrō trānsĭtū sīgnĭfĭcāssĕ.*

Praeterea talia exempla exstant his locis: 3_{26}; 12_{21}; 36_{11}; 36_{12}; 38_{15}; 40_{20}; 57_{10}; 57_{14}; 108_{5}; 114_{19}; 117_{8}; 137_{19}; 156_{10}; 244_{4}; 310_{25}; 321_{10}; 324_{7}; 355_{21}; 432_{5}; 435_{20}; 437_{20}; 462_{13} alibi.

2) Multo rarius molossum huic clausulae praecedentem invenimus:

219_{13} *dīsiēctūrūs vĭdērētŭr*; 283_{1} *īntērpēllārĕ sūstĭnŭĭt*; 130_{25} *Rōmānīs ēxēmplīs cōntēntŭs*; 201_{1} *ădvērsābāntūr sŭpplĭcĭō*; 24_{9} *pūgnā nōn ēffĭgĭēm Sōlĭs*: 38_{3} *puerosque ā sē dĭscēdĕrĕ vĕtŭĭt*; alia habes 86_{34}; 105_{13}; 227_{20}; 242_{16} 334_{24}; 427_{19}; 431_{6}; 435_{28}; 464_{15}.

Atrocem cladem apud Cannas acceptam Valerius depingit gravibus rhythmis: 332_{27} *quidnam fieri de legionibus Romanīs ăpūd fūrcās Cāudīnās ĭnclūsīs dēbērĕt, inviolatas dĭmīttēndās rēspōndĭt.*

3) Choriambus ante hanc clausulam extat his locis:

249_{25} *mĭnīstĕrĭō vōcĭs īnstrūxĭt*; 250_{21} *ĭmāgĭnĭbūs glōrĭām trāxĭ*; 258_{19} *pērfĭdĭā prǣcŭcūrrērūnt*; 265_{15} *sūpplĭcĭō mōrtĭs āffēcĭt*; 101_{1} *ămīcĭtĭǣ fœ̄dĕrĕ iūnxīssēnt*; 56_{23} *vērbĕrĭbūs prōcŭbŭīssĕ.*

4) Dactylus praecedit clausulae I:

4_{21} *indulgēntĭă sēmpĕr ēxcŭbŭĭt*; 41_{1} *crīmĭnĕ vŏlŭĭt āspērgī*; 67_{3} *spērnĕrĕ pērsĕvērārēnt*; 247_{27} *recēntĭbŭs ādmŏnĭtō rĕcōrdārī*; 139_{10} *fūlmĭnĕ nāscī păss(i) ēstĭs*; 167_{4} *eas pērpĕtŭ(o) īncŏlŭmēs sērvēnt*; 262_{8} *cēdĕrĕ nōn dŭbĭtāvĭt*[1]).

§ 2.

De secunda clausulae forma.

Eadem ratione ac primam Valerius secundam quoque clausulam adhibet. Variationes igitur sunt quattuor:

1) — ◡ — — ◡ ⏓
2) — — — — ◡ ⏓
3) — ◡ ◡ — — ◡ ⏓
4) — ◡ ◡ — ◡ ⏓

1) Cf. p. 20.

A) Quorum generum exempla sunto:

1) — ◡ —   — ◡ ⏓ [1]):

65_{9} *ēssĕt ōrnātĭŏr*; 89_{18} *reprehensiōnĕ pērmīttītŭr*; 89_{19} *dīscīplīn(a) īndĭgĕt*; 89_{20} . . . . *dēscīvĕrīnt*; 235_{19} . . . . *mŏdĕrātĭŭs*; 322_{2} . . . . *cōmplĕxŭs ēst*; 441_{12} . . . . *vērsātŭs ēst*.

2) — — —   — ◡ ⏓ :

26_{22} *et fūndāmēnt(um) ēxtĭtĭt*; 41_{11} *Medorum ēxcēllēntīssĭmō*; 86_{11} *omnis vīndēx pūnītŭs ēst*; 91_{3} . . . . *āccēdĕrĕt*; 260_{16} . . . . *spēctātŭs ēst*; 423_{12} . . . . *præstrīngĕrĕt*.

3) — ◡ ◡ —   — ◡ ⏓ :

56_{1} *vūlnĕrĭbūs rēspŭānt*; 81_{15} *tūrpĭŭs āppārĕāt*; 119_{4} *īmpĕrĭūm cōrrŭăt*; 168_{2} . . . . *rēddĭdĭt*; 261_{10} . . . . *trādĭdĭt*; 420_{17} . . . . *nānctŭs ēst*; 425_{25} . . . . *nūbĕrĕt*.

4) — ◡ ◡   — ◡ ⏓ :

23_{24} *ōmĭnĕ cēpĕrăt*; 24_{11} *relīnquĕrĕ cōgĕrĕt*; 26_{14} *ūrbĕ pŏtītŭs ēst*; 160_{21} . . . . *pāssŭs ēst*; 362_{11} . . . . *fēcĕrĭt*; 436_{18} . . . . *nītĭtŭr*; 454_{26} . . . . *ēdĭdĭt*.

B) Dicreticum saepe auctum esse vel cretico vel molosso vel choriambo vel dactylo ostendant hi loci:

1) Creticus praemissus est:

52_{9} *novūmquĕ spēctācŭlūm pātrĭæ prǣbŭĭt*; 139_{29} *intemperantĭǣ spīrĭtūm rēddĭdĭt*; 154_{4} *Māxĭmŭs īnfătīgābĭlēm patrĭǣ prǣstĭtĭt*: 228_{7} *sūbmĭnīstrārĕ nōn dēstĭtĭt*; 355_{25} *sed praemium victōrĭǣ rēs ĕrāt pūblĭcă*, quem insolitum verborum ordinem rhythmi gratia esse adhibitum manifestum est; 148_{2} *īnnŏcēns ēssēt tēstātŭs ēst*; 200_{4} *ēt iūcūndīssĭmūm lēnīmēntŭm fuĭt*; 312_{23} *quōmĭnŭs patrĭǣ prīncēps ēxīstĕrĕt*; 27_{1} *prǣpĕtēs dīrĭpuĕrūnt ăvēs*; 109_{13} *īntērpēllātŭs īn prōpŏsĭtō pērstĭtĭt*; 271_{5} *puerīlĭs ǣtātĭs īnsīgnĭă mūnītă sūnt*; 25_{19} *in Hispanĭa dēbĭlĭtavĕrăt*; 156_{7} *sēntēntĭam dīcĕrĕ nōlŭĭt*; 157_{13} *pro Cǣsărĭs pārtĭbŭs ēxcŭbāns*; alia habes 23_{6}; 49_{19}; 56_{6}; 86_{13}; 104_{20}; 130_{15}; 206_{5}; 248_{4}; 333_{9}; 381_{7}; $42{-}_{12}$; 423_{14}; 428_{18}; 461_{13}.

2) Molossus antecedit velut:

89_{25} *defēndēndōqu(e) ādmĭnīstrātă sūnt*; 212_{2} *āppēllār(i) ā sŭīs pāssŭs est*; 331_{1} *vel silēntĭō tūtĭōr vēl sērmōn(e) ēssĕt*

[1]) In sequentibus brevitatis causa saepius finem tantum clausulae indico.

ăccēptĭŏr; 356_{23} *tŭnc tērrārŭm văcāns dīspŭlĭt*; 398_{12} *pērtūrbār(e) īmpĭē mālŭĭt*; 362_{24} *ēx săcrāmēntō cōntēndĕrĕ nōlŭĭt.*

3) Etiam rarius choriambus ante dicreticum invenitur: 232_{10} *māgnĭfĭcē grātŭs āppārŭĭt*; 261_{2} *īngĕnĭō māiŭs ūsŭm pŭtĕt*; 342_{22} *clementīssĭmă sūffrāgĭ(a) ēxpērtŭs ēst*; 424_{4} *flāgĭtĭōs(um) īllūd cōnvīvĭŭm*; 358_{8} *ōrdĭnĕ quō prōpŏsŭ(i) ēxĕquăr.*

4) Hic atque illic praecedit dactylus:

31_{3} *altārĭbŭs hōstĭārŭm fŭga*; 78_{21} *ad ūltĭmūm prōpŏsĭt(um) ēxĕquī pāssŭs ēst*; 335_{5} *prǣsĭdĭūm cāllĭdĭtātĭs āmplēxŭs ēst*; 447_{20} *tām vĭŏlēntĕr ēxērcĭtŭs*; 454_{26} *cēntŭrĭōnĭbŭs ēdĭdĭt.*

§ 3.

De clausula tertia.

Conspectus formarum est:

1) — ◡ —   — ⏓ — ⏓
2) — — —   — ⏓ — ⏓
3) — ◡ ◡ —   — ⏓ — ⏓
4) — ◡ ◡   — ⏓ — ⏓

A. 1) — ◡ —   — ⏓ — ⏓:

1_{16} *severīssĭmē vīndĭcāntŭr*; 35_{25} *sōmnĭō cōngrŭērūnt*; 100_{9} *amaro vīncŭlō sērvĭtūtĭs*; 66_{21} *ārmă nōn cōmmīttēbānt*; 132_{26} *parte cōrpŏrīs prīvārētŭr*; 390_{6} *ādpĕtēndās ēffēcĭt*; praeterea 29_{5}; 32_{12}; 126_{17}; 142_{10}; 145_{16}; 254_{15}; 339_{13}; 60_{11}; 77_{24}; 106_{6}; 264_{19}; 344_{3} alibi.

2) — — —   — ⏓ — ⏓:

31_{13} *in mūrōs cōncūrrĕrētŭr*; 53_{12} *prōtūrbātŭs pĕrīrĕt*; 424_{17} *īntēr sē iūngĕrēntŭr*; 439_{8} *ēxpūgnāndām cŭcūrrĭt*; 139_{15} *mōrēs nūdārī pōssūnt*; 313_{1} *quǣstōr sōrt(e) ōbvēnīssĕt*; 435_{8} *īntēr sē dīvīsērūnt.*

3) — ◡ ◡ —   — ⏓ — ⏓:

45_{9} *ōbsĕquĭō cōmprŏbāvĭt*; 60_{12} *ōffĭcĭō fūngĕrēntŭr*; 162_{3} *īndĭcĭō nōlŭērūnt*; 425_{5} *dēlĭcĭās ēvŏcāvĭt*; 313_{27} *ōffĭcĭō sūstēntāvĭt*; 445_{11} *pērfĭdĭǣ cōntēmplēmŭr*; 467_{4} *īnvălĭdōs pārtūs ēdĭ.*

4) — ◡ ◡ — ⏓ — ⏓:

40_1 *navi crēdĕrĕ mālŭīssĕt*; 117_6 *turpitūdĭnĕ lībĕrāvĭt*; 221_{30} *prīncĭpĭs ēxtĭtīssĕt*; 424_{20} *mūnĕrĭs ērŏgāvĭt*; 116_{16} *mōrsĭbŭs ēxpīrāvĭt*; 219_{16} *īctĭbŭs ōbiēcīssēnt*; 420_{11} *mōlĭbŭs īnclūdēndă*; 433_{23} *ēdĕrĕ cōgēbāntŭr*.

B. Creticum, molossum, choriambum dactylumque etiam huic numerorum generi interdum esse praemissos ex his exemplis elucet:

1) Saepissime creticus anteit:

4_{23} *religiōnĭs ēxāmĭnārī vĭdēntŭr*; 442_{16} *āc dĭū dīlĭgēntērquĕ cōnsīdĕrāvĭt*; 320_6 *ādmŏdūm pāucă narrārī pōssūnt*; 451_{24} *multitūdĭnēm sŭb cŏrōnā vēnīrĕ*; 4_{13} *parum dīlĭgēns īgnĭs ǣtērnī cūstōs fŭīssĕt*; 167_{22} *ĕt āccūsātōrĭs ēt tēstĭs ēt iūdĭcĭs pártēs ĕgīssĕ vĭdĕăr*; 434_4 *sīngŭlīs ēssēnt āccōmmŏdātǣ*; 382_{20} *pecūnĭām fēstīnāntēr cōnsūmpsĭt*; 85_1 *āllŏquēnd(i) ōffĭcĭō fūngĕrētŭr*; 444_{27} *sūccēssōrĭs sŭī dēxtĕrām cōnfŭgĕr(e) hōrtātŭs ēssĕt*; 322_{19} *dīctĭs fāctīsquĕ prūdēntĭbŭs ēnĭtēscĭt*; 38_5 *ādmŏdūm tēmpŏrĭs īntērcēssĭt*; praeterea 78_6; 154_{28}; 170_1; 188_{14}; 286_{21}; 289_{21}; 314_{28}; 241_3; 328_{16}; 347_{29}; 434_{16}; 58_{20}; 97_1; 106_{14}; 31_5; 350_1 alibi.

2) Molossus praecedit his locis:

90_{23} *apud Cānnās rēm pūblĭcām dēsĕrŭĕrānt*; 174_{20} *mūltīs ēt clārīs āuctōrĭbŭs īllūstrātā (e)st*; 191_9 *tām iēiūnōs pĕnātēs vĭdēbăt*; 247_1 *mōtūs nōn prōtĭnūs strangŭlāvĭt*; 268_4 *ād prīvātūm dŏlōrēm dēflēxĭt*; 325_6 *īntēr sē dīssĭdēntēs vĭdĕrĕt*; 461_1 *exoptātā sēcūrĭtāt(e) āequĭēvĭt*.

3) Choriambum praemissum invenies velut:

81_{18} *cōrpŏrĭs īniūrĭā cōntrăhēbānt*; 202_{24} *cōnsĭlĭō prǣcĭpŭē cōnsŭlēs ūtēbāntŭr*; 286_1 *nōtĭōr ad pōstĕrōs pērvĕnīrĕt*; 384_{10} *ac pērpĕtŭ(a) īndūstrĭā cōntĭnēbăt*; 425_{15} *mōrĭbŭs ēt lēgĭbŭs ōrdĭnātă*.

4) Saepius quam choriambus praecedit huic clausulae dactylus ut:

10_{22} *militāntĭbŭs āltĕrūm dēcēssīssĕ*; 48_{24} *primōrdĭă cīvĭtās nōstră trāxĭt*; 89_{10} *domēstĭcō vūlnĕrĕ gēstă nārrārī pōssūnt*; 216_2 *mōrtŭūm pūblĭcō fūnĕrĕ cēnsŭĭt ēffĕrēndŭm*; 243_3 *dēbĭtă rēddĕrĕ prǣmĭă nōlŭīstī*; 333_{23} *dīs*

īmmòrtālĭbŭs ēdĭtām rēspōndērūnt; 411_{11} *dulcēdĭnĕ glōrĭæ nōn tāngātŭr*; 444_{21} *magnitūdĭnĕ crīmĭnĭs āntĕcēssĭt.*

§ 4.

De clausula quarta.

Valerius, ut hunc numerum efficiat, non solum meris trochaeis utitur sed etiam nonnullis locis pro primo cadentis partis trochaeo ponit spondeum. Praeterea reperiuntur clausulae quae basi carere mihi videantur. Cum autem plenis formis pedes cretici molossici alii perpaucis locis praecedant, huiusmodi exempla non inseremus nisi oblata occasione. Quae cum ita sint hae formae internoscendae sunt:

1) — ⏑ —   — ⏓ — ⏑ ⏓
2) — — —   — ⏓ — ⏑ ⏓
3) — ⏑ ⏑ —   — ⏓ — ⏑ ⏓
4) — ⏑ ⏑   — ⏓ — ⏑ ⏓
5)   — ⏓ — ⏑ ⏓.

1) — ⏑ —   — ⏓ — ⏑ ⏓:

61_{11} *senatŏr ēnūntĭāvĕrĭt*; 204_{2} *adiectā vŏlūntārĭā mōrtĕ præstĭtĭt*; 431_{11} *ăd vŏlūntārĭām mōrtēm cōmpŭlĭt*; 224_{17} *ĕt mŏdĕrātĭōn(e) āssĕcūtŭs ēst*; 352_{4} *īn Căpĭtōlĭūm prōsĕcūtŭs ēst*; 365_{23} *ferēntĭbūs prōsĕcūtŭs ēst*; 335_{2} *ēxīstĭmāns ōscŭlātŭs ēst*; 434_{18} *crudelitātĭs ēxcōgĭtavĕrĭt*; 434_{26} *certīssĭmæ sūnt ĭmāgĭnēs*; 99_{2} *iniūrĭōsĕ trāctată sūnt*; 102_{16} *pōstĕā cēnsōr făctŭs ēst*; 241_{13} *īntrā quōs ōptĭmūs cīvĭs vīxĕrăt*; 436_{20} *nē trĭūmph(um) īmpĕrātōrī quærĕrĕt.*

2) — — —   — ⏓ — ⏑ ⏓

88_{12} *ēffĭcācīssĭmūm dūrāmĕnt(um) ēst nĕcēssĭtās*; 273_{15} *quăm nōn pĕccāssĕ prōfŭĭt*; 464_{10} *quia dīctū fastīdĭēndă sūnt*; 61_{8} *dīvī fŭlsērūnt Cæsărēs*; 113_{9} *prōtĭnŭs ōbtrūncāt(um) ārmīs ēxŭĭt*; 446_{24} *in ædēs prĭvātās cōmpŭlĭt.*

3) — ⏑ ⏑ —   — ⏓ — ⏑ ⏓:

122_{16} *cēntŭrĭō sūbsĕcūtŭs ēst*; 163_{7} *īmpĕrĭūm trānsĭtŭs fŭĭt*; 350_{14} *resīstĕrĕ fās ēssĕ dūxĕrīnt*; 381_{13} *iūdĭcĭālī rĕpūlsă*

sūnt; 443_{16} *dīvīdŭūm cōntŭbērnĭ(um) ēst*; 450_2 *imāgĭnĭbūs cūlpæ s(e) īmplĭcăt.*

4) — ◡ ◡ — ⏑̄ — ◡ ⏑̄:

65_{21} *ōbtĭnŭīssĕ vīdĕrānt*; 92_2 *nihilō mĭnūs prōpŏsĭt(um) ēxĕcūtŭs ēst*; 258_{30} *supērbæ Cărthāgĭnĭs āltă mœnĭă*; 438_{20} *vestīgĭă sūbsĕcūtŭs ēst*; 469_{11} *cōnvĕnĭēbăt ūltŭs ēst*; 23_{27} *ōmĭnĕ dēsīgnātŭs ēst*; 237_{18} *trādĕrĕ nōn ēxhŏrrŭĭt.*

5) — ⏑̄ — ◡ ⏑̄:

311_{24} *lucidius ēnĭtēscĕrĕt*; 374_{20} *obtinentis animus flūctŭātŭs ēst*; 275_{15} *indulsisse frāudī nōn fŭĭt.*

§ 5.

De clausula quinta.

Multae sunt variationes huius clausulae. Basin enim non solum meri trochaei aut spondei subsequuntur sed etiam pedes permixti eaque ratione, ut spondeus modo pro primo modo pro altero trochaeo ponatur. Quas formas omnes esse cursus trochaicos concedo Francisco Skutsch, magistro meo doctissimo. Cadenti igitur parte spectata distinguimus duo genera:

A) cursus meri: — ◡ —, — ⏑̄ ⏑̄ — ⏑̄.

B) cursus mixti: — ◡ —, — — — ◡ — ⏑̄ vel — ◡ —, ◡ — — — ⏑̄.

Ubique basin etiam molosso, choriambo dactylove, (etiam binis), effici posse consentaneum est.

A. Cursus meri:

1) — ◡ —, — ⏑̄ — ⏑̄ — ⏑̄:

65_5 *quāmvīs prō cōmmŏdīs plēbĭs ēxcŭbabānt*; 93_{23} *īmpĕratorĭbūs mĭnatŭr*; 188_{20} *dēbuĭt arbĭtēr pūblĭcæ sălūtĭs*; 193_{13} *ād vĕrēcūndĭam transĭtūs vĭdētŭr*; 213_8 *attonitas pă-rēntēsquĕ dēcĭdīssĕ*; 398_{24} *rūrsŭs āspēctŭī vērbă sērvĭēbānt*; 228_{24} *ādmĭnīstrata dēcēssīssĕt*; 283_8 *ēx sŭō fīscō sōlvī iūssĭt*; 303_{29} *praetōrē dēdēndōs cūrāvērūnt*; 425_{10} *cŏrpŏrĭs vīres ēxpūgnāntŭr*; alia habes 26_{17}; 31_{24}; 33_{21}; 71_{17}; 79_{14}; 283_1[8]; 331_5; 453_4 etc.

2) — — —, — ⏑̄ — ⏑̄ — ⏑̄:

75_9 *lūxŭrĭ(ae) īrrītāmēntă rēppĕrīssĕ*; 128_{19} *īntēr sē dīmĭcarē iūssĭt*; 392_{12} *ērŭdĭent(em) āudītōrēs tŭōs vĭdērĕt*;

447_{17} *versārētūr trānsīrĕ cōgĕrēntŭr*; 53_{21} *rēgnō dĭsiūngī cūrrūs iŭssĭt*; 125_{17} *pắtrēs cōnscrīptī prǽcēpērūnt*; 372_{27} *īnquĭnātīssĭmǽ vītǽ prō rōstrīs ắccūsārĕt*; 455_{10} *fīlu dēscēndēns prōscrīptūm sē cōgnōssĕt*; quae verba *fati acerbitatem*, qua L. Villium Annalem esse affectum in illo capite narratur, bene depingunt (IX, 11_6).

β) — ◡ ◡ —, — ⏓ · — ⏓ — ⏓:

43_{12} *sāucĭŭs ōblātŭs ōbsĕcrāvĭt*; 51_{18} *īnvĭdĭǽ fūnĕr(e) ēffĕrēndŏ*; 175_{13} *pōstĕrĭtāt(i) ēssĕ nōlŭērūnt*; 182_{17} *accēdĕrĕ dēbērĕ iūdĭcantēs*; 348_{14} *āc sŭbĭtǽ flūctŭātĭōnĭs*; 227_8 *contrārĭō prṓpŏsĭtŏ sḗsē dīstīnxērūnt.*

4) — ◡ ◡, — ⏓ — ⏓ — ⏓

224_7 *abūndē sē pōstĕrĭtātī cōmmēndāssĕt*; 422_{22} *continentiắm rĕtĭnērĕ mālŭērūnt*; 423_{15} *adulescēntĭă prīscōs mōrēs vīdĭt*; 456_3 ***bellum dē dŏmĭnātĭōnĕ gēssĭt.***

B. Cursus mixti:

1) — ◡ —, ⏊ — ⏊ ◡ ⏊ ◡̄ vel — ◡ —, ⏊ ◡ ⏊ — ⏊ ⏓:

11_{14} *nefārĭā prǽdā nāvĭgārĕt*; 42_{20} *promīssā vīctōrĭ(a) ēxērcĭtūm pūgnǽ cōmpărābăt*; 131_6 *ād cīrcūmstantĭūm nārēs pērvĕnīrĕt*; 175_{25} *tērrĭbĭlĭs Pūnĭcās vīrēs cōntŭdērūnt*; 249_{28} *fortūnā nāscēntī dēnĕgāssĕt*; 31_{17} *caelēstĭūm nūmĕn ēt Cǽsărĭs glōrĭǽ fāvīssĕ*; 44_{13} *sermōnĕ cōntēmptŏr īn cārcĕrēm cōniēctŭs*; 304_{28} *sēmĕt īpsī sŭpērĭēcērūnt*; 344_2 *dūx vălĭdīssĭm(o) īnstrūctŭs ēxērcĭtū vēnīssĕt*; 436_{14} *ad hōstĭūm cōpĭās pērsēquēndās mīssŭm.*

2) Cretici vice fungitur molossus:

167_{17} *vērbīs cōncēptīs pēiĕrāssĕ*; 26_2 *īmmōrtālēs pătēfēcērūnt*[1]); 53_7 *lāudēs ēt nūmĕn ōbtrēctāssĕ*; 89_{28} *mīrā vīrtūtĕ cōllēgīssĕt*; 234_4 *humānī nūtrītŭr ătqu(e) āugētŭr.*

3) Choriambus format basin:

333_{22} *ēxĭmĭǽ fōrmǽ vāccă nāt(a) ēst*; 8_{26} *advērsŭs ĕām sǽvĭēndī gēntĕm*; 240_{15} *in ēxĭlĭūm prōtĭnŭs mīsīssēnt*; 417_{25} *īncŏlŭm(em) ādvēxĕrāt lǽtātŭs.*

---

[1]) De e producta in *patēfacio* cf. ea quae dixit Fr. Skutsch Philol. 59 (N F 13) p. 503 annot.

4) Dactylus efficit basin:

125_{25} *tyránnĭdĕ Pĕrsās lībĕrārĕt*; 166_{1} *in víncŭlă pūblĭcă dŭcī iūssŭs ĕssĕt*; 242_{2} *lēgĭbŭs ūtī mālŭĕrūnt*; 32_{17} *sīgnĭfĭcātŭs ĕst ēvĕntŭs*; 104_{5} *tĕmpŏrĕ fŏrtĕ cōnflūxĕrūnt*; 443_{15} *in Căpĭtōlĭō cēnārĕt.*

5) Sed certa basis constitui non potest his locis:

28_{26} *neque fuga ĭmpĕdīrī pŏtŭĭt*; 346_{25} *exitu felĭcĭtĕr prōvīsŭm*; 425_{23} *in matrĭmōnĭŭm dūcēbānt*; 447_{25} *in modum hŏstĭæ māctārūnt.*

§ 6.

Quo modo Valerius sexta structura usus sit.

Duo sunt genera huius clausulae: aut Valerius meros trochaeos adhibet aut trochaeos et spondeos permixtos. Habemus igitur

A) cursus meros: — ◡ —, — ◡ — ◡ — ◡ ◡̄

B) cursus mixtos: — ◡ —, — — — ◡̱ — ◡ ◡̱

Exempla sunto:

A. 1) Baseos locum tenet creticus:

82_{28} *speciosĭssĭmūs Scīpĭōnĭs trĭŭmphŭs ĕxtĭtĭt*; 166_{14} *dēbĭta lāudĕ prōsĕcūtŭs ĕst*; 312_{29} *cōnsŭl mŏlēstē tŭlīssĕ trādĭtŭr*; 404_{20} *ērudītĭssĭmŭm pĕctŭs hæc cŏgĭtātĭ(o) āttĭgĭt*; 452_{21} *cōrpŭs āctīs ĕquīs īntĕr īnfēstă cōntrārĭæ pārtĭs āgmĭn(a) ad dŏmŭm.*

2) Raro molossus, choriambus, dactylus basin format velut:

434_{25} *nē nōn cōntīngăt ūltĭ(o) ănxĭŭs*; 46_{8} *prǣcĭpŭā rĕlĭgĭōnĕ cŭlt(um) ĕrăt*; 162_{15} *Pūblĭcŏlæ nōmĕn āssĕcūtŭs ĕst*; 422_{21} *lætĭtĭăm pŏstĕrĭs rĕlĭnquĕrĕ*; 270_{13} *efficācĭtĕr ūrĭbŭs rĕcēpĕrăt*; 387_{4} *prōmptĭŭs ĕssĕt ĕt sŏlŭtĭŭs*; 461_{4} *fĕrr(um) ăcŭănt vĕnēnă tĕmpĕrĕnt.*

3) Cursum trochaicum basi carentem habes:

467_{2} *sors concēptĭōnĭs ōbtŭlĭt.*

B. 1) Creticus est basis:

80_{14} *sapiēntĭæ lāudēm vīndĭcavĕrĭt*; 361_{24} *īntĕgrō cīvī iūră rēddĕrĕ*; 370_{4} *īn suā cāusā lībĕrātŭs ĕst*; 42_{29} *īnsĕpūltŭs*

iăcēns cōntēctŭs ēst; 433_3 *vīncŭlō rēlĭgĭōnīs tōllĕrĕt*; 451_{24} *vērbĕrātōs sĕcūrī pĕrcŭtĭ*; 240_{20} *vīncŭlīs cōnstrīngēndūm trādĕrĕt*; 436_{24} *totām fŭgæ pōstpōnēndām rēddĭdĭt.*

2) Molossus vel choriambus vel dactylus praecedunt cadenti parti:

38_{21} *cērtæ prædīctĭōnīs sōmnĭŭm*; 424_{18} *aetātĕ iām pūbĕr(em) hăbēbăt vĕnēnō sūstŭlĭt*; 425_9 *glōrĭ(a) ĭn īnfāmĭām cōnvērtĭtŭr*; 447_{11} *māgn(a) ŏrĭētŭr īndīgnātĭō.*

3) Basi caret hic locus:

423_{23} *āltĕrŭm nēquīssĭmŭm.*

§ 7.

De septima clausula agitur.

Hic quoque discernendi sunt cursus meri et mixti.

A. Cursus meri:

1) — ◡ —, — ⏓ — ⏓ — ⏓ — ⏓

39_{27} *cōnsĭlĭī fīrmĭtātĕ rōbŏrārūnt*; 60_{14} *ōffĭcĭ(a) īmpīgrē sūstĭnēndă rōbŏrābant*; 310_{18} *sānguĭnĭs mīlĭtēs supērvēnīrē*; 399_1 *causas ăgēnt(e) ĭn cŏrōnā frĕquēntĕr ādstĭtīssē*; 424_{12} *tēmŭlēntæ lĭbīdĭnī futūrā*; 37_{25} *nōmĭn(e) hōrrēndo sērvōs īnclamāvĭt.*

2) — — —, — ⏓ — ⏓ — ⏓ — ⏓ vel — ◡ ◡ , — ⏓ — ⏓ — ⏓ — ⏓ vel — ◡ ◡, — ⏓ — ⏓ — ⏓ — ⏓:

212_3 *prīvātā trānquīllĭtātĕ mītĭgāvĭt*; 457_{22} *demūm fēlīcēm fŭīssĕ iūdĭcāmŭs*; 443_{13} *clārā vōc(e) āffīrmāntēm prōspēxīssĕ*; 231_1 *libentēr făcĕr(e) īn cōntĭōnĕ prædĭcāvĭt*; 11_3 *iūst(a) ănĭmădvērsĭōnĕ vīndĭcarĭt*; 440_7 *aequ(o) ănĭm(o) īllīs fŭīssĕ prœbĭtūrŭm*; 261_{20} *dīssĭmŭlātĭōnĕ cōntĕgēbăt*; 385_{11} *nōn ănĭm(o) ēt vĭdērĕt ēt vĭgērĕt.*

B. Cursus mixti:

1) Basis efficitur cretico:

11_{12} *potēntĕr ātqu(e) ēffīcācĭtĕr dēfēndĭt*; 34_{15} *valitūdĭnēm prŏxĭmō prœlĭō nōn īntĕrēssĕt*; 43_6 *īnsĭdĭīs cīrcūmvēntō sūbvĕnīrĕt*; 59_{19} *dēbĭt(um) ā fēmĭnīs rēddēns hŏnōrēm*; 96_{12} *tamēn rĕsērvāndōs lāurēæ pŭtāvĭt*; 167_6 *hūnc mŏdūm*

cārmĕn ēmēndārī iūssĭt; 290_{21} *cavērĕt ĭniūrĭām quām vīndĭcārĕt*; 444_{12} *flăgĭtānt(em) ărmīs ōbrūtām nĕcāvĭt.*

2) Cretici loco est molossus vel choriambus vel dactylus:

453_{16} *agēbāt sŭccūssīs frēnīs cōnstĭtĭssĕt*; 230_{15} *ēxĭmĭām sūmmĭttēbāt dīgnĭtātĕm*; 416_{5} *prīncĭpĭō cōnsŭlātūs glōrĭāndŏ*; 46_{9} *sēdĕ sŭā mŏvērĕ cōnābāntŭr*; 111_{4} *ratiōnĭbŭs ēxĭgēndīs nōn văcārēnt.*

3) Basin interdum deesse hoc exemplum documento sit: 43_{14} *neci saltem ūltĭōnēm nōn nĕgārĕt.*

§ 8.

De octava ceterisque clausulis.

Quae numeri oratorii genera rarissime inveniri non mirum est.

1) Octavam structuram (— ⏓ —, — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓) Valerius efficit:

6_{14} *currūs vĕl aequāvĕrĭt glōrĭām vĕl āntĕcēssĕrĭt*; 69_{20} *scaenĭcō nōmĕn hīstrĭōnĭs īndĭt(um) ēst*; 147_{1} *Gallĭcā pĕrĕgrīnātĭōnĕ cōnsĕcūtūs ēst*; 190_{16} *aetās Rōmānă glōrĭābĭtūr stĕtĭt*; 443_{19} *Campanūm sĕnātūm quăs(i) aemŭlātĭō fŭĭt*; 36_{19} *dēbĭlĭtātĕ cōrpŏrĭs sōlātūs ēst*; 380_{22} *dēstrīctō tēstĭmōnĭ(o) īnsĕcūtūs ēst.*

2) Nonam formam (— ⏑ —, — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏓) habes:

33_{15} *opēs ăbūndāntĭā pĕcūnĭ(ae) āntĕcēssĭt*; 124_{18} *exērcĭt(u) ĕx prōvŏcātĭōnĕ dīmĭcāssĕt*; 257_{27} *taeterrimā dŏmĭnātĭōnĕ lĭbĕrārĕ cŭpĕrĕt*; 335_{13} *electōs ĕquōs quām cĕlērrĭm(e) ēxpĕdīrĕ iūssit*; 447_{9} *tabernulā lătĭtāntēm praetēxtātūm dīscērpsērūnt*; 466_{19} *interiōrĕ clāustr(o) īpsĕ dīlĭgēntĕr ōbsĕrāssĕt.*

3) Decimam etiam formam habes:
448_{12} *fāctă iūst(a) aestĭmātĭōnĕ prōsĕquī vălēnt.*

4) Atque occurrit mihi etiam locus septem trochaeos continens:

203_{11} *săpiĕntēm sĭ prō nĕcēssĭtātĕ tēmpŏrĭs lŏcūtŭs ēssĕt* (claus. XIII).

§ 9.

De clausulis quibusdam raris.

I. Interdum Valerius sententias concludit hunc in modum:

87_4 *concēdĕrĕ pŏtēstātĭ*; 118_{19} *sūmĕrĕ vĭdērētŭr*; 120_{25} *gloria cēdĕrĕ Lătīnīs vĕlīmŭs*; 426_{21} *fossa cīngĕrĕ iŭbērētŭr*; 295_{13} *solitūdĭnĕ pĕrōrārĕm*; 376_{14} *nōmĭnĕ cŏlōrandō*; 410_{13} *consecrāvĕrăt ădōrnāvĭt*; 280_{13} *audācĭă vĭdērētŭr*; 426_{27} *vestīgĭă pĕdūm pōnĕrēnt*; 437_{17} *cĭbārĭă dărī vĕtŭĭt*; 388_{16} *sapientīssĭmŭs hăbērētŭr*; 425_{12} *perniciōsĭŭs hăbēndŭm sĭt*; 340_{19} *nārĭbŭs ĕqu(ī) ădmōvĭt*; 459_2 *mōrtŭŭs hŭmī iăcŭĭt.*

Velleius Paterculus[1]) quoque, Valerii aequalis, iisdem clausulis utitur; exempli gratia proferimus:

p. 50_4 *in cārcĕrĕ nĕcātī sūnt*; 91_{10} *nōmĭnĕ sălūtāvĭt*; 113_{13} *triumphālĭbŭs hŏnōrātŭs ēst.*

Cum Valerius et Velleius locis modo allatis orationem sine dubio numerose terminaverint, colligendum esse puto has clausulas neglecto accentu ad quantitatem solam esse structas et priorem longam basis creticae nonnunquam formatam esse duabus brevibus vocem terminantibus (⏑́ ⏑ ⏑ –́ –́ ⏓). Quam rem IV. saeculo p. Chr. n. valuisse Skutschius in consessu quodam seminarii nostri philologici nuper docuit. Accedit quod iam Wolffius[2]) easdem clausulas iam a Cicerone usurpatas esse statuit.

II. Sequantur porro exempla quae demonstrare mihi videantur cadentem partem hic atque illic effici choriambo,

---

[1]) Vellei. Paterc. ed. C. Halm, Lipsiae 1876.

[2]) J. Wolff l. a. p. 669/70; cf. etiam K. Ziegler in praef. ad Iuli Firmici Materni v c de errore profanarum religionum librum denuo editum, Lips. 1907 p. XV.

quas clausulas a Cicerone quoque admissas esse Zielinskius[1]) ostendit. Sunt autem haec:

24_{13} *in Liguria bellŭm gĕrēns ōccīdĕrīt*; 83_{15} *militi vidērĕ nōn cōntĭgĕrăt*; 165_{20} *Gracchus admirābĭlĕm s(e) ēxhĭbŭĭt*; 178_{18} *scriptīs sŭīs sīgnĭfĭcăt*; 206_{3} *exhibērĕ nōn cōntĭgĕrăt*; 322_{27} *in suō stătŭ cōntĭnŭĭt*; 414_{10} *senatum līttĕrīs ādmŏnŭĭt*; 465_{9} *tam latē pătēns īmpĕrĭŭm.*

III. De clausula heroica apud Valerium Maximum.

Clausulam heroicam quae vocatur (— ⏑ ⏑, — ⏓) a Valerio ubi fieri potuit esse vitatam elucet e mutata vocabulorum positione his locis: 303_{12} *negābăt āŭdērĕ*; 338_{17} *iŭssĭt īncēdĕrĕ*; 396_{10} *vŏlŭĭt ādmīttĕrĕ*; 413_{9} *pōssĕt ēvādĕrĕ*; similia habes: 12_{24}; 65_{9}; 73_{20}; 125_{20}; 131_{13}; 223_{28}; 301_{24}; 304_{24}; 321_{22}; 324_{10}; 331_{1}; 375_{11}; 384_{17}; 436_{15}.

Sed clausula heroica quamquam multis locis verborum inversione evitatur[2]), nihilominus satis saepe invenitur atque etiam interdum de industria adhibita esse mihi videtur. Numeravi enim tales clausulas in Valerii libro I 19, in l. II 21, in l. III 15, in l. IV 18, in l. V 23, in l. VI 18, in l. VII 16, in l. VIII 24, in l. IX 26. Quae cum ita sint, res digna est, quae accuratius excutiatur.

1) Ac primum hanc clausulam a Valerio esse usurpatam puto, ut celeritas ac festinatio quaedam depingatur velut:

38_{15} < Haterius Rufus > *protinusque īndĕ dīscēdĕrĕ vŏlŭĭt*; 211_{6} *vendidit eiusque pretium Hannibali protinŭs nŭmĕrāvĭt*; 221_{15} *diadema, quod abiecerat, capiti repōnĕrĕ iŭssĭt*; 252_{8} *legiones cum insignibus suis fratri obviam prōcēdĕrĕ iŭssĭt*; 276_{20} sqq. *Teutonorum vero coniuges . . . . eaque re non impetrata laqueis sibi nocte proxima spiritum ērĭpŭērūnt*; 302_{7} *si quis eas cum ferro intrasset, continuo intĕrfĭcĕrētŭr*; 450_{24} *finīrĕ vītăm prŏpĕrāvĭt*; quo loco usitatam verborum consecutionem *vitam finīrĕ prŏpĕrāvĭt* de industria

---

1) Zielinski l. a. p. 747 sqq.

2) Cf. p. 36, § $2_{,1}$.

esse evitatam manifestum mihi videtur; 454_{19} *protinusque ad inritamenta vaesaniae suae trucidăndă tĕtĕndĭt*; 458_{21} *ad primum conspectum redeuntis ĕxănĭmătā (e)st.* Conferas velim Velleium p. 23_{12}sqq. *pulsas praecipiti loco quinque cohortes legionarias eodem protinus subīrĕ iŭbēbăt.*

Eadem de causa Valerius *non dubitandi* elocutione et imminutis etiam formis[1]) huius verbi uti solet nihil veritus clausulam heroicam. Cui rei sint documento hi loci:

106_{22} *universus senatus illūm sĕquī nṓn dŭbĭtā́rĕ̄t*; 157_{16} *ita respondere nṓn dŭbĭtā́vīt*; 199_{10} *ardentes ore carbones haurire nṓn dŭbĭtā́stī*; 208_{3} *alter vadem se pro reditu eius tyrannṓ dărĕ nṓn dŭbĭtā́rĕ̄t*; 248_{1}sqq. *ne te quidem, Cimo, silēntĭ(o) īnvōlvă̄m, qui patri tuo sepulturam voluntariis vinculis emere nṓn dŭbĭtā́sti*; 262_{8} *qui* < Seleucus > *carissima sibi coniuge filio cēdĕrĕ nṓn dŭbĭtā́vīt*; 357_{21} *sallire nṓn dŭbĭtā́vīt*; praeterea 101_{4}; 103_{21}; 278_{10}; 413_{6}. *Non dubitandi* igitur verba optime vertimus hunc in modum: „ich tue etwas sofort“.

Ne illud quidem neglegendum est, quod haec clausula saepenumero invenitur in transitionibus, tamquam si Valerius indicaverit se statim ad sequens caput transiturum esse. Habes enim:

177_{19} *faventibus igitur linguis contrarios his tam diris vitiis mores cṓmmĕmŏrḗmŭs*; 383_{24} *quid cesso vires indūstrĭā̆ cṓmmĕmŏrā́rĕ*; 194_{18} *Nos autem ad praeclarum verecundiae opus trā́nsgrĕdĭā́mŭ̆r*; 418_{10}sqq. *Ceterum quia sine ulla deminutione Romanae maiestatis extera quoque insignia rēspĭcī pōssūnt, ad ea trānsgrĕdĭḗmŭ̆r*; 253_{1} *restat nunc ut patriae ḗxhĭbĕā́tŭ̆r*; 261_{16} *Ceterum ut ad iucundiora cognitū vĕnĭā́mŭ̄s*; 296_{12} *Tempus est iustitiae quoque sancta penetrā́lĭ(a) ădīrĕ*; 306_{20} *Restat ut . . . . . laudabiliorem fidḗm rĕfĕrā́mŭ̆s*; 379_{18} *Atque ut omnes iudiciorum numeros exequamur, quaestiones, quibus . . . . . habita fides ḗst, rĕfĕrā́mŭ̆s*; alia exempla exstant 64_{26}; 234_{20}; 234_{9}; 404_{8}; 450_{4}.

---

[1]) De verborum formis imminutis cf. cap. III § 11.

2) Iam vero nonnulla exempla ostendant clausulam heroicam hic atque illic respondendi gratia esse adhibitam ut:

222_{18} sqq. *Commemoratione Romani exempli in Macedoniam deductus morum Alexandri praecōnĭŭm fắcĕrĕ cōgŏr, cuius ut infinitam gloriam bĕllĭcă vīrtūs, ita praecipuum amorem clemēntĭă mĕrŭĭt*; 263_2 sqq. *filium enim et regem appellavit et diadema sū́mĕrĕ iŭ́ssĭt et in curuli sella consī́dĕrĕ cŏḗgĭt*[1]); 273_6 *constat iuvenem productum in rostra defixo in terram vultu perseverantēr tăcŭī́ssĕ verecundoque silentio plurimum in ultionem suā́m vălŭī́ssĕ*; 413_3 sqq. *sed qualiscumque horum dissimulatio proposito illorum longe tolerabilior, qui, dum aeternam memoriam ā́ssĕquĕrēntŭr, etiam sceleribus innotḗscĕrĕ nōn dŭbĭtā́rūnt*; 419_8 sqq. *locum, quo humatus est, in formam condicionēmquĕ tēmplī́ rĕdĭgēndŏ atque inde oracula capi ī́nstĭtŭēndŏ.*

§ 10.

De copia clausularum.

In Valerii libro IX, quem exempli causa elegi, inveniuntur

clausulae	I	—	318 =	38,0 %
„	II	—	160 =	19,1 %
„	III	—	201 =	24,0 %
„	IV	—	50 =	6,0 %
„	V	—	56 =	6,7 %
ceterae omnes		—	52 =	6,2 %
summa summarum			837 =	100 %

Cum ex hac tabella eluceat structuras I, II, III creberrime usurpatas esse, videamus, quem numerum singula harum formarum genera expleant.

basis est:	— ⏑ —	— — —	— ⏑ ⏑ —	— ⏑ ⏑	summa
I	197	64[28]	31	26	318
II	82	36[8]	27	15	160
III	99	39[11]	25	38	201

summa summarum 679

[1]) De cŏēgi perfecto vide cap. II § 8,1.

Cum de *-m* et *-s* abiectis restet dubitatio (cf. p. 22sqq.), huiusmodi structuras in clausulis molossica basi formatis numeramus, sed numerum earum uncis inclusum apponimus.

Caput II.

De observationibus quibusdam prosodiacis.

Quoniam explicavimus, quo modo Valerius enuntiata concluserit, numeri oratorii ope aliquot quaestiones prosodiacas tractare et persolvere conabimur, quae res nobis haud parvi momenti esse videntur, quod auctor inter scriptores argenteae quae dicitur latinitatis temporum ordine spectato primum locum obtinet.

§ 1.

De *-m* littera abicienda[1]).

1) *-m* littera abiecta

α) habes pro pessima forma ⏑́ ⏑ ⏑, — ⏓ aut ⏑́ — ⏑ ⏑, — ⏓ usitatum genus ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑, — ⏓:

3_{25} *e Cōrsĭcā Rṓmăm rĕdĭĕrūnt*[2]); 25_6 *ṓmĭn(i) ăccēptŭm rĕfĕrēntēs*; 94_{12} *in lectica cláudŭm iăcŭīssĕ*; 107_5 *in scǣnăm*

---

[1]) De *-m* et *-s* abiciendis cf. F. Leo „Plautinische Forschungen", 224ff. Berlin 1895; Fr. Skutsch Vollmöllers Jahresberichte IV 81 1895/6; W. M. Lindsay „Die latein. Sprache" (deutsch von Hans Nohl, Lpzg. 1897), S. 78ff, 141ff.; F. Sommer „Handbuch der latein. Laut- u. Formenlehre" Heidelb. 1902 S. 302ff.; Niedermann-Hermann, „Histor. Lautlehre des Latein" Heidelbg 1907 S. 54 u. 60ff.

[2]) Commemorandum nobis est easdem clausulas aliis quoque locis esse velut: 231_{24} *ĭllīs prǣlắtī vĭdĕántŭr*; 323_{24} *rōbŏrīs nḗrvōs hĕbĕtārĭ*; 376_{24} *ab adversārĭ(a) ābsṓlvī pŏtŭīssĕt.* Quamquam talia exempla propemodum declarare videntur longas finales corripi posse (*nḗrvŏs hĕbĕtārĭ*, *absṓlvĭ pŏtŭīssĕt*), tamen rarius exstant quam ut id contendere audeamus. Cum autem observaverimus omnes fere huiusmodi clausulas ita esse structas, ut media baseos longa formetur syllabis in *-m* vel *-s* exeuntibus, non alienum esse putamus conicere *-m* et *-s* elidi, etiamsi confitemur nos negantem convincere non posse.

rĕvŏcāvĭt; 166_7 *tālĕ dēcrētŭm rĕcĭtāvĭt;* 178_{28} *caritatem clāsŭm tĕnŭīssĕ;* 221_1 *inhumātŭm iăcŭīssĕt;* 236_{10} *Africānŭm mĕrŭīssĕ;* 240_{26} *aut amantēm sŭī cīvĕm pŏtŭērūnt;* 265_{17} *adversus Catilīnăm gĕnŭīssĕ;* 305_2 *lāudĭs hŏnōrĕm mĕrŭērūnt;* 306_{10} *in coniugis sinu salūtĕm rĕtĭnērĕt;* 349_{29} *pugnantium Romanōrŭm cĕcĭdērūnt;* 403_{11} *circa ārăm stătŭīssĕt;* 409_7 *trecentesimum ānnŭm cŭmŭlāssĕ;* 428_{11} *caedibus virōrŭm sătĭātŭs;* 430_{22} *barbaram feritātĕm sătĭārēnt* alia.

β) formatur solita clausula ◡́◡ ◡ —, — ⏑̄ vel ◡́◡ ◡ —, — ◡ ◡̄ pro insolentissima ◡́◡ — —, — ⏑̄ vel ◡́◡ — —, — ◡ ◡̄:

3_5 *ūt vĕtūstīssĭmām Cĕrĕrĕm plăcārēnt;* 43_{11} *tamquām sŭpērvăcŭŭm damnavĭt;* 43_{26} *ad capitālĕ sūpplĭcĭŭm pērdūxit;* 299_{26} *ad nefārĭ(um) īndĭcĭŭm pērpēndēns;* 318_2 *qui eum stŏlĭdŭm crēdĭdĕrănt;* 410_{21} *scriptorem ănĭmŭm dīrēxĭt;* 112_{20} *in ăcĭĕm dēscēndere;* 320_{14} *vitae cŭmŭlŭm pērdūxĕrĭt.*

γ) efficitur basis cretica elegans pro molossica velut:

28_7 *in prōxĭmām sīlvăm fūgērūnt;* 55_3 *astūtĭ(a) ēlāpsŭm cēpīssēnt;* 120_4 *mīlĭtī scūtŭm dētrāxĭt;* 449_{28} *honorārĕ vīrtūtĕm dēbērĕt;* 451_{21} *ōbsĭtī sūpplĭcēs Rōmăm vēnīssēnt;* 44_{30} *īmpĕtrātūrăm sē crēdĭdit;* 45_{26} *altitūdĭnĭs pālmăm cīrcūmdĕdit;* 319_{18} *ad Scīpĭōn(em) īmpĕrātōrĕm pērtrāctŭs ēst.* Praeterea 108_{16}; 109_{20}; 110_{24}; 111_1; 114_3; 114_6; 120_{18}; 121_{20}; 145_{20}; 151_6; 153_1; 153_4; 157_{12}; 157_{28}; 161_{14}; 184_{17}; 223_3; 275_9; 282_6; 288_{24}; 290_8; 290_{24}; 295_{14}; 296_{21}; 297_{22}; 298_{11}; 299_{16} [1]) etc.

Satis me ostendisse puto orationem elegantius cadere *-m* finienti abiecta [2]).

§ 2.

De *-s* littera abicienda [3]).

Idem valere in brevibus syllabis in *-s* cadentibus quod in *-m* littera haec exempla illustrent:

---

1) Exempla quale est 223_3 *militārĕ iūcūndŭm dŭcēbānt* (claus. I) habes 20 in Valerii libro III, 17 in l. VI, 15 in l. IX.

2) Cf. etiam § 2 δ.

3) Cf. p. 22 annot. 1.

α) -*s* finientem ante *s* plerumque esse elisam docuit me Skutschius, quod confirmatur his locis:

121_{14} *quǽ rĕlātūrŭs sŭm*; 294_5 *aliquid inhonéstē fàctúrŭs sŭm*; 456_4 *ăut dĕōs ínvŏcār(e) ăusŭs sĭt*; 245_{10} *laudabilĭŭs sūbvēnĭt*; 357_{28} *titulo ferĭtátĭs sŭpĕrāvĭt*; 445_{17} *eorum sŏcĭus sŭpĕrēssĕt*; 230_{26} *certamine láudĭs sŭbsĕquĭtŭr*; 90_5 *cōrrĭgēnd(um) ūnŭs sŭffēcĕrăt*; 271_{10} *muliebre cōrpŭs sōrtītŭs ēst.*

β) -*s* obmutescere videtur ante alias consonantes:

56_{18} *exércĭt(um) ĭus(u) ámnĭs prŏhĭbérĕt*; 285_{27} *severitátĭs mŏnŭmēntūm (e)st* cf. 388_{11} *clariŭsquĕ mŏnŭmēntŭm*; 456_{11} *fœ́dŭs făcĭēntĕm*; 5_{31} *quoque pectórĭbŭs vērsātūm (e)st*; 325_{13} *certior hōstĭs prŏfĭcíscĭtŭr*; 28_9 *quo pĕdĭbŭs pĕrvēnĕrăt*; 132_{15} *Phalarin lapídĭbŭs prŏstērnĕrēnt*; 298_{10} *cum ceteris equítĭbŭs cōrrēxĕrānt*; 429_{20} *hostiarum capítĭbŭs pērmīxtă sūnt.*

γ) Atque aliquanto iucundius fluit oratio cretica basi pro molossica accepta velut:

35_9 *ōrbĭs rēstābăt*; 143_{11} *fīnĭs īnvēntŭs nōn ēssĕt*; 269_{18} *domēstĭcūm vūlnŭs dētrăhĕrĕt*; 49_3 *missae vŏcĭs mīrācŭlūm (e)st*; 107_{14} *nomine Catōnĭs dēfīnĭăt*; 129_{13} *aperta fīnĭs vītǽ fŭĭt*; 152_{14} *in aciem claudŭs dēscēndĕrĕt*; 384_1 *ăd cŭmŭlūm láudĭs pĕrdūcĭtŭr.*

δ) Respice etiam, quantopere inter se congruant hae clausulae:

188_{14}sqq. *abunde enim patet quid vīvŭs pŏssēdĕrĭt, cui mortuo lectus funebris ĕt rŏgŭs dēfŭĭt*; 256_{10} *non solum ipse planíssĭm(um) ĕxhĭbŭĭt, sed etiam ex pectoribus aliorum abeŭntĕm rĕvŏcāvĭt*; 453_{10}sqq. *Nunc, quatenus vitae humanae cum bona tum etiam mala substitutis exemplōr(um) ĭmagĭnĭbŭs pērsĕquĭmŭr, dicta improba et fāctă scĕlĕrātă rĕfĕrāntŭr.*

§ 3.

De -*m* et -*s* servandis.

At vero *m* et *s* in fine verborum conservandae sunt:

α) ante voces iambicas vel iambice incipientes; lege enim:

428_{24} *ūmbrīs sāltēm pĕpērcĭt*; 428_{28} *ādsĕrēndŭm pŭtāvĭt*; 434_{16} *dēnĕgātŭm mŏlēstē fĕrāmŭs*; 439_{8} *ēxpūgnāndăm cŭcūrrĭt*; 454_{5} *cōrpŏrĕ tēlŭm rĕcēpīssĕt*; 462_{29} *lacerandŭm fĕrīs prăbŭĭt*; 82_{30} *eius sectăm Mĕtēllŭs sĕcūtŭs*; 316_{23} *divinitatĭs sŭæ pārcĭt.*

β) si syllaba in *-m* vel *-s* cadens terminat basin ut:

47_{18} *fortitūdĭnĕm cœpĭt*; 60_{11} *ad cūrĭăm dēdūcēbant*; 97_{10} *ōppĭdŭm vēxĭt*; 266_{20} *dēbĭtŭm rēddĭdĭt*; 428_{27} *ālvĕŭm spārsĭt*; 105_{29} *iūstĭŭs dīxĕrĭt*; 254_{15} *rēgĭbŭs prăfĕrātŭr*; 430_{2} *Cæsărĭs sēnsĕrăt*; 464_{13} *Antōnĭŭs mīsĕrăt*; 466_{22} *subtīlĭŭs dīspŭtānt.*

Quibus expositis censeo *m* vel *s* finientem abici posse in gravibus syllabis, in acutis non posse. Sed id pro certo non affirmo, nam difficile est tantam quaestionem clausularum solarum ope solvere. Ac potest fieri, ut sint qui perpaucis illis locis[1]) nixi dicant —́ — ⏑́⏑ et ⏑́⏑ — —́ basin statuendam esse.

§ 4.

De *-m* et *-s* apud Velleium Paterculum et Ciceronem.

Ut ea, quae de *-m* et *-s* apud Valerium exposuimus, accuratius perpendantur, Skutschio auctore Velleium Paterculum et Ciceronem in comparationem vocavimus. Ordiamur a Velleio, Valerii aequale.

I. Idem dici posse de Velleio quod de Valerio haec demonstrent:

1) *-m* et *-s* breves terminantes deleri videntur in gravibus syllabis:

α) 18_{17} *operis ĭmpĕdīmēntŭm sĭt*; 46_{12} *Vĕsŭvĭŭm mōntĕm pĕtĭĕrĕ*; 111_{1} *proposita hŏmĭnŭm fōrtūnă*; 114_{2} *signa quoque legiōnŭm trĕpĭdātŭm*; 129_{12} *Tūllĭō tāntŭm trĭbŭĕrĕ, ut*; 2_{28} *iis ārtĭbūs mōrtĕm quæsĭĕrĭt*; 35_{26} *se dīstrĭbūtūrum pōllĭcĭtŭs ēst*; 40_{18} *cōndĭcĭōnĭbūs bēllŭm cōmpōnĕrĕ*; 43_{12} *partĭŭm prætŏr ād Sūllăm trānsfūgĕrăt*; 46_{8} *tribunicĭam pŏtēstatĕm*

---

1) Cf. p. 22 annot. 2.

rēstĭtŭĭt; 67_{23} *ēssĕt ānnōrŭm dīgēstĭŏ*; 72_{27} *ăd rĕsīstēndŭm nūll(i) ădĕrăt.*

β) *-s* finiens abici posse videtur

αα) ante *s*:

56_{26} *ēt quŏtĭēns ūsŭs sĭt*; 94_{23} *aetatium ōrdĭn(um) ēxcēptŭs sĭt.*

ββ) ante ceteras consonantes:

12_{20} *consŭlĭbŭs mòrt(em) ŏbĭĭt*; 119_{17} *quōd nĭs(i) ēxpērtŭs vīx crēdăt*; 8_2 *cum consŭlĭbŭs cònflīxĕrăt*; 10_{12} *temeritātĭs pœ̄nās dĕdĭt*; 16_7 *post hoc tēmpŭs dēdūctă sĭt*; 126_{14} *īmpĕrātōrĭs màtūrĭtăs.*

2) Servandae autem sunt litterae illae in syllabis, quae arsin explent; documento sunto hi loci:

10_{10} *regiœ̄quĕ stīrpĭs fĕrēbăt*; 13_{28} *in cīvĭtātēm rĕcēptĭ*; 26_{20} *Scordiscīs trĭūmphūs fŭĭt*; 34_{25} *proscrīptĭōnĭs fŭĭt*; 36_{23} *pārtĭbūs prœ̄stĭtĭt*; 65_{12} *clāssĭbūs pērvĕnīrēt*; 65_{22} *Cœ̄sărĭs mīlĭtēs*; 80_1 *clemēntĭăm vīncĕrēt*; 112_{23} *acies hōstĭūm vīdĭmŭs.*

Ex his quae protulimus satis intellegi putamus, id quod supra de *-m* et *-s* apud Valerium abiciendis diximus, ad Velleium quoque pertinere.

II. Ut investigemus, quo modo haec res apud Ciceronem se habeat, non paucas orationes Oratoremque qui vocatur perscrutati sumus.

Quibus exploratis confitendum nobis est nos confirmare non posse *-m* et *-s* apud Ciceronem obmutescere. Nam annotatione dignum est Ciceronem verba plerumque ita collocare, ut syllabis in *-ŭm*, *-ĕm* vel *-ŭs*, *ĭs* exeuntibus *que* particulam addat, qua baseos thesis efficitur.

Quo instrumento aptissimo Cicero ut uti posset interdum figuram, quae graece nominatur ἓν διὰ δυοῖν, videtur adhibuisse velut:

pro Flacco § 28 *gloriam splendorēmquĕ rĕvŏcārēnt*; p. M. Tullio § 21 *praeterea tectum villămquĕ dīstūrbănt*; de imp. Cn. Pomp. 8 *pulsus superatūsquĕ rēgnāvĭt*; in Verr. III_{65} *turpis impurūsquĕ vŏlŭīssēt*; IV_{85} *senatus . . . . commotus perturbatūsquĕ dīscēdĭt*; V_{145} *praedandi novam singula-*

rĕmquĕ rătĭōnĕm alia. Verum revertamur ad rem. Etiamsi exstant loci velut in Verr. III_{85} *ex ipsa civitātĕ quīd gēstūm sĭt* vel V_{50} *foedere sanctum ātquĕ prœscrīptūm sĭt*, qui *m* abiectam probare videantur, tamen tam rari sunt, ut id contendere non possimus. Sed id unum affirmare possumus *-s* brevem terminantem ante *s* sequentem in gravibus syllabis detrahi; documenti causa proferimus:

in Verr. I_{40} *quaestor ad exĕrcĭtŭm mīssŭs sĭs*; I_{49} *de cotidianis crimĭnĭbŭs āctūrŭs sŭm*; I_{79} *aliqua ex pārtĕ vĭŏlātŭs sĭt*; I_{157} *manubias detrăhĕrĕ cōnātŭs sĭt*; III_{6} *ōppūgnār(e) āusŭs sĭt*; IV_{65} *quod te ăccūsātūrŭs sĭt*; V_{11} *gratis suscĭpĕrĕ cōnātŭs sĭs*; V_{146} *immaniōrĭbūs cănĭbŭs sūccīnxĕrăt*; V_{163} *fecit, făcĕrĕ lătātŭs sŭm*; pro Caecina 35 *habuerīnt quĭd actūrŭs sĭs*; § 89 *ex īntĕrĭōr(e) āedĭūm pārtĕ dēvĕctŭs sĭs*; de imp. Cn. Pomp. 45 *vectigalia cōnsērvātūrŭs sĭt*; 68 *inter tot annos ūnŭs īnvēntŭs sĭt*; pro rege Deiotaro 25 *qui āctĭō-nātŭs sĭt.*

Cum his locis omnibus elegans rhythmus non efficiatur nisi *-s* abiecta, vix dubitari potest, quin id factum sit. Etenim Cicero ipse vituperat ‚poetas novos‘ *subrusticum* putantes postremam litteram in verbis quale est *optumus* ante consonantem subtrahere (Orat. § 161). Ser. Sulpicium quoque suavitatis causa *-s* elisisse *quotiens ultima esset aliaque consonante susciperetur*, Quintilianus nobis tradit (Instit. orat. IX 4,38).

At contra *-s* a Cicerone servari in acutis syllabis pauca exempla demonstrabunt:

in Verr. I_{103} *praeterīrĕ pāssūs sĭt*; III_{9} *vestris cupiditātĭbūs sērvĭānt*; III_{167} *Vēttĭūs dīctūrūs sĭt*; V_{147} *quo mortuus, quō nĕcātūs sĭt*; pro Cluentio 29 *et legibūs sătĭs fēcĭt.*

§ 5.
De *t* littera.

Mirum id quoque est, quod de *t* littera observavimus[1]). Hic atque illic Valerius sententias concludit hunc in modum:

---

[1]) De t littera vide E. Seelmann „Die Aussprache des Latein“ Heilbronn 1885 p. 358, 367 sqq.; Lindsay l. a. p. 88 sqq.

62_7 *tam multorum ā̆rĭbūs fŭ́ĕrāt cōmmīssŭ̆m*; 72_3 *aestivum mĭ́nŭīt fērvōrĕ̆m*; 94_{17} *maius habiturum fŭ́ĕrīt mōmēntŭ̆m*; 223_{26} *invitatione familiari cǽpīt rẽtĭnērĕ*; 277_{18} *Privernatibus éssēt fàcĭēndŭ̆m*; 338_6 *ad Romanos cǽgīt rèvŏcārĕ*; 346_4 *armis excogitávīt ràtĭōnĕm*; 169_9 *prosequēndă dēlévīt mŏ̀dĕrātĭŏ*; 191_{12} *dotem recípĕrēt nòn èxtĭtīssĕ̆t*; 134_{25} *splendidam relatu prǽbēt mātérĭăm*; 297_{25} *ād sĕnāt(um) éssēt dèlātă*; 22_{22} *puēllă rŏgávīt màtértĕrăm*; 148_2 *īnnŏcēns éssēt tèstātŭs ēst*; 324_{10} *prœ́lĭŭm vĕ́llēt còmmíttĕrĕ*; 412_4 *illī fùtūr(a) éssēt gràtīssĭmă.*

Quibus locis perspectis paene opinamur etiam *t* litteram post brevem vocalem in gravibus syllabis elidi posse, quamquam id nequaquam asseveramus. Verumtamen hanc rem ideo proferendam esse existimamus, quod idem apud Velleium animadvertimus. Scriptum enim invenis apud Velleium:

31_{17} *in omnis penetrássēt règĭōnēs*; 83_{20} *princeps eiūs lŏcī fécīt Mằcĕdŏ́nĭcŭs*; 101_{17} *in formam paene stipendiariae redígĕrēt prōvīncĭǽ*; 62_4 *lata absŏ́lvīt sēntēntĭă*; 65_{10} *legiones pŏ́ssēt trànsmīttĕrĕ*; 100_{22} *hoc opus sérvēt fòrmăm sŭăm.* Alia habes 20_{22}; 63_{23}; 110_4; 114_{16}; 126_{17}; 130_{13}.

Non ignoramus ea, quae protulimus, non esse eiusmodi ut nolenti persuadeant, sed annotatione dignum est, quod duo scriptores argenteae aetatis in hac re consentiunt.

§ 6.

De *fieri* verbo.

Nota est regula quam cirrati discunt *fieri* verbi primam vocalem esse brevem, longam in formis *r* littera carentibus[1]). Clausulis respectis illi praecepto prorsus assentiri non possumus. Sed ne erremus et Valerium ac Velleium et Ciceronem perscrutati sumus.

1) De formis quae r litteram continent:

---

[1]) Ellendt-Seyffert „Latein. Grammatik"[38], Berlin 1894, S. 228; at contra lege ea, quae de hac re dixit Fr. Skutsch „Zeitschrift für das Gymnasialwesen" LXIII p. 69 et 72, Berlin 1909.

a) apud Valerium et Velleium:

Productam *i* postulare videtur Val. 163_{30} *iūrĕ fĭĕrī pŏtĕrăt;* rem integram relinquunt loci velut 62_{27} *politiorēm fĭĕrī nōlŭīstĭ;* 170_{3} *īd fĭĕrī pāssūs nōn ēst* 346_{13} *quidnām fĭĕrī vēllĕt*; alia invenies 5_{9}; 374_{3}; 406_{29}; 425_{22}; Vell. Pat. 30_{16}; 39_{1}; 89_{4}.

b) Zielinskius[1]) testimoniis e Cicerone collectis statuit primam vocalem esse longam. Equidem enotavi duo exempla *i* productam postulantia:

in Verr. V_{107} *cum haec ita fĭĕrēnt quærēbātŭr*; in Verr. V_{173} *quod sine multorum scelere fĭĕrī nōn pŏtēst.*

2) De formis *r* littera carentibus:

a) apud Velleium nullum, apud Valerium perpauca exempla inveniuntur. Lege 249_{19} *ut meliora fĭānt ĭngĕnĭă*, sed 395_{12} *testātĭōrēs fĭānt.*

b) Exempla e Cicerone ipse contuli:

α) Plerumque *i* vocalis longa est ut:

pro Quinctio 41 *Romae iudĭcĭă fīēbānt* cf. in Verr. IV_{22}; pro Ros. Am. 128 *proscriptiones vēndĭtĭōnēsquĕ fĭānt;* in Verr. III_{210} *iudicia sevēră fīēbant*; IV_{109} *gentes nātĭōnēsquĕ fĭūnt*; IV_{110} *gemitus fletūsquĕ fīēbānt*; V_{178} *mentio de lege nūllă fīēbăt.* Praeterea in Verr. I_{33}; V_{147}; de lege agr. II_{72}; in Pis. 99; Milon. 34; Philipp. II_{52}; V_{26}.

β) Sed *i* brevis esse videtur:

pro Quinctio 50 *cūi măgīstrī fĭūnt*; in Verr. I_{129} *cotidie ādvŏcātĭōnēs fĭūnt.*

Quae cum ita sint prima *i fieri* verbi longa esse mihi videtur in arsi, in thesi brevis.

§ 7.

De *re-* syllaba praefixa.

1) *rĕlĭgĭō*, non *rēllĭgĭō* semper pronuntiandum est:

2_{20} *amplificandae rĕlĭgĭōnĭs fŭĭt*; 31_{28} *cūltŭī rĕlĭgĭōnĭs*; 433_{8} *perrupto vĭncŭlō rĕlĭgĭōnīs tōllĕrĕt.*

---

[1]) Zielinski l. a. p. 767.

2) a) Lege *relliquiae* et *rĕ́lĭcuus*[1]:

70_{27} *ullas ignis habēntĕ rèllı̆́quı̆ās* [*rĕliquias* LA]; 406_{21} *conscriptis rĕ́lĭcŭōs vīdı̆́t* [*rĕlĭquōs* LA].

b) *relinquendi* verbum[2]) per duplicem *l* scribe:

301_{33} *videndi utrīsquĕ rēllīquı̆́t*; 343_{19} *iniūrı̆ǽ gĕ́nĕrĕ rēllīquı̆́t.* Causam autem in medio relinquunt loci quales sunt: 134_{17} *pondus exā́mı̆nàndū́m rĕlı̆́quı̆́t*; 135_{19} *ūbĕrı̆ōrēm rĕlīquı̆́t*; praeterea 101_{3}; 101_{9}; 268_{20}; 377_{3}; 403_{16}; 445_{19}; 445_{29}.

3) *repperi* codices semper recte exhibent ut:

32_{1} *ēxtīs nȍn rēppĕrı́ssĕ*; 348_{8} *agitatīs vı̆ȁm rēppĕrı̆́t*; 426_{2} *voluptatīs gĕ́nūs rēppĕrīssĕ́t*; 461_{10} *fīnēm sŭī rĕ́ppĕrı̆́t.* Formas praesentis et futuri generis activi vel passivi a codicibus interdum falso geminata *p* scriptas exhiberi elucet ex his exemplis:

80_{20} *beā́tı̆ȍr fı́nı̆́s rĕ́pĕrı̆ētū́r* [*rē*pĕrı̆ētŭ́r* LA]; 312_{21} *multae dēlı̆cı̆ǽ rĕ́pĕrı̆ȁntŭ́r* [*rēppĕrı̆ȁntùr* L[1] A[1]]; 316_{15} *felicīssīmŭs rĕ́pĕrı̆ētŭ́r* [*rēppĕrı̆ētŭ́r* L[1]]; 321_{10} *talēm stā́tùm rĕ́pĕrı̆ĕ́s* [*rēppĕrı̆ĕ́s* L[1] A[1]]; 331_{16} *illō nŭ́mĕrō rĕ́pĕrı̆ĕs* [*rēppĕrı̆ĕ́s* L[1] A[1]]; 341_{12} *ū́tı̆lĕ rĕ́pĕrı̆ētū́r* [*rĕ́ppĕrı̆ētŭ́r* LA]; 415_{11} *speciōsı̆ūs rĕ́pĕrı̆ĕ́s* [*rēppĕrı̆ĕ́s* L A[1]].

4) *rēppŭlı̆́* duplici *p* codices iure praebent:

326_{3} *a valvīs sŭīs rēppŭlı̆́t*; 376_{22} *et religione sua mŭ́lı̆ĕrēm rēppŭlı̆t*; praeterea 109_{22}; 157_{6}. Itaque laudamus Kempfium scribentem 46_{19} *urbis maternǣ prĕcēs rēppŭlērūnt* [*repulerunt* LA, sed corr. *pp* A[1] ut videtur].

5) Contra codicum auctoritatem semper legendum esse *rēttŭlı̆́*, elucet ex his:

28_{22} *sē lătĕbrās rēttŭlērūnt*; 257_{5} *in aerārı̆ūm rēttŭlīssĕ*; 320_{5} *complura exēmplă rēttŭ́lı̆mŭs*; 340_{1} *orācŭlī prǣcēptūm rēttŭlīssĕ́t.* Quam ob rem scribe: 108_{28} *laudem e prœlı̆ō rēttŭlı̆́t*; 178_{7} *dēbı̆tām glōrı̆ām rēttŭlı̆́t*; 439_{25} *lēnı̆tēr rēttŭlı̆́* cetera.

---

[1]) Cf. C. Lachmann, „Commentarius in T. Lucreti Cari de rerum natura libros“ Berl. 1882 p. 305; Zielinski, l. a. p. 767.

[2]) Cf. Skutsch Phil. N. F. XV p. 194.

Iure igitur Halmius[1]) *rettuli* scripturam adhibuit neque cum Kempfio consentimus, qui id vituperans[2]) falsam codicum lectionem in textum recepit. Sed Kempfius ipse semel scripsit p. 26_6 *oraculum missi rettulerunt*, annotans L¹A codd. hoc loco id praebere.

At contra lege semper:

6) *rĕdūcŏ*:

148_{19} *clāssĕm Cārthāgĭnĕm rĕdūcĕrēnt*; 172_8 *armīs cōnfīrmāt(um) īn pātrĭām rĕdūxĭt*; 325_7 *summō stŭdĭ(o) īn grātĭām rĕdūxĭt*; 352_2 *domūm rĕdūxērūnt*; 415_{16} *cōnsŭl(em) ĭtĕrūm rĕdūxĭt.*

7) *rĕmīttŏ*:

180_{24} *mīssōs īn Sāmnĭūm rĕmīsĭt*; 238_3 *ād pĕnātēs sŭōs rĕmīsĭt*; 296_{25} *caedēntēs īn pātrĭām rĕmīttĕrēntŭr*; 103_{24} *ultro ēt cĕlĕrĭtĕr pătrī rĕmīsĭt.*

Neque hic praetermittendum est, Valerium, ut celeritatem remittendi vel reducendi vel revertendi depingat, continuis trochaeis uti solere. Praeter exempla supra allata habes:

238_{13} *alăcĕr ĭn ūrbĕm rĕvērsŭs ēst*; 309_{18} *se autem in cŭbĭcŭl(um) āc lēctŭlūm rĕcēpĭt*; 324_{12} *optimum ei āuspĭcĭūm rĕnūntĭāssĕt*; 440_{24} *necīs sŭæ prǣmĭūm dŏmūm rĕvēxĭt*; cf. Vell. Pat. 57_7 *laetusque nocturnae expeditionīs trĭūmph(o) ād sŭōs rĕvēctŭs ēst.*

8) *rĕpōnĕrĕ*:

147_7 *in sua innocēntĭā rĕpŏsŭĭt*; 153_{23} *sicut erant trādĭtæ rĕpŏsŭĭt*; 217_{25} *in suā fōrtūnā rĕpōnĕrĕt*; 285_8 *paginarum numerō rĕpōnēndă.*

§ 8.

De verbis quibusdam.

1) *cŏēgī* perfectum tres syllabas explens habes:

123_{26} *cūnctă cōnārī fēssōs cŏēgĭt*; 130_{10} *in admiratĭōnĕm cŏēgĭt*; 165_{11} *defēnsĭōn(i) īntĕrēssĕnt cŏēgĭt*; 240_{16} *vinculis morī cŏēgīssēnt.*

1) C. Halm ed. Val. Max. Lipsiae 1865.

2) C. Kempf l. a. praef. p. VI.

Dubitamus autem de locis quales sunt 86_1 *consulatum depōnĕrĕ coegit*, 119_{10} *poenas persōlvĕrĕ coegit*, nam incertum est utrum ad haec exempla pertineant quae p. 19 sqq. de clausula heroica diximus an ita potius pronuntianda sint *depōnĕrĕ cŏēgĭt, persōlvĕrĕ cŏēgĭt*[1]).

Sed contractio[2]) locum habet:

141_7 *probārĕ cœgīssĕt*; 256_9 *se relicturos pătriām cœgĭt*; 301_7 *Athenienses in clássĕm cœgīssĕt.*

2) *o* + *e* vocales *coepi* perfecti semper contrahi documento sint haec:

47_{18} *fortitūdĭnēm cœpĭt*; 329_4 *reges săpĕrĕ cœpīssēnt*; 342_4 *dēpŏsĭtūm pĕtĕrĕ cœpĭt*; 367_7 *flēns cōmmēndārĕ cœpĭt*; 425_7 *ēssĕ cœpērūnt*; praeterea 118_4; 317_{13}; 342_{16}; 455_3.

3) Mather[3]) docet primam syllabam compositorum *iaciendi* verbi optimis temporibus produci. Quam rem probant clausulae permultis locis. Habes enim:

7_{21} *in mare ābĭcī iūssĭt*; 47_4 *mirācŭl(um) ādĭcĭtŭr*; 252_{15} *convenienter ādĭcī pōssĕ*; 267_2 *cōnsĭlĭ(um) ādĭcĭăm*; 281_{17} *quas tu ei īnĭcī iūssĕrăs*; 314_6 *incremento māiŭs ādĭcĭăm*; 333_7 *exemplis pārvŭl(um) ādĭcĭăm*; 346_5 *īmpĕrĭ(o) ādĭcĕrĕt*; 413_1 *dilīgēntĕr ādĭcĭūnt*; 418_2 *ūxŏr ādĭcĭtŭr.*

4) Contractae formae *prehendendi* verbi reperiuntur:

70_{27} *tenācĭŭs ōmĕn ādprēndĭt*; 299_{20} *clāritātĭs ādprēndĕrĭt*; 156_{21} *relatiōnĕ cōmprēndăm*; 291_{23} *vīrĭbŭs ǽtērnīs cŏmprēndit*; 339_2 *vehĭcŭlă cŏmprēndĭt*; 247_7 *cōntĭōnĭs rĕprēnsŭs*; 371_{14} *mariti nŏctū dĕprēnsŭs* [sic margo A e Par.].

Sed plenae formae certe statuendae sunt his locis:

104_{18} *dexteram ādprĕhēndērūnt*; 163_{16} *effuso gaudio ādprĕhēndēntĕm*; 172_4 *ādprĕhēndēndŭs ēst*; 220_{18} *memoria ādprĕhēndēndă (e)st*; 318_{16} *fructum adprĕhēndēbant*; 326_7 *tutelām sŭī cōmprĕhēndĭt.*

---

[1]) De accentu talium clausularum cf. Wolff l. a. p. 668.

[2]) Cf. C. F. W. Mueller „Plautin. Prosodie“ Berlin 1869 S. 451 ff.: R. Klotz „Grundzüge altrömischer Metrik“ Leipzig 1890 S. 310.

[3]) Harvard Studies, vol. VI 1895 p. 83 sqq.

Quibus expositis apparet pleniores formas totam clausulam aut tertiae partem cadentem efficientes a Valerio esse servatas, aliis locis breviores esse adhibitas.

§ 9.

De pronominibus.

1) Dativos pronominis personalis *mĭhī*, *tĭbī*, *sĭbī* esse iambicos elucet ex his locis:

113_{27} *vitantibūs sĭbī dēpŏpōscit*; 163_{20} *potestatem bīs sĭbī dētŭlīssĕt*; 186_{26} *in qua praestarī sĭbī vĕllĕt*; 194_{28} *concēdĕrēt quām sĭbī vīndĭcārĕt*; 250_{1} *ad id tempus mutūs sĭbī vīxĕrăt*; 264_{8} *accepīssĕ prŏbātŭm mĭhĭ sit*; 267_{3} *insidias nectī sĭbī cōmpĕrīssĕt*; 267_{18} *eo sīt tĭbī vīlĭŏr*; 284_{24} *magnifica rēs tĭbī cōntĭgĭt*; 437_{12} *successorēm sĭbī mīttī*; cf. Vell. Pat. 19_{6} *falsō sĭbī vīndĭcānt*; 76_{17} *mallēnt sĭbī nūntĭārī*.

2) Genetivi in *-ius* excidentes plerumque creticum explent:

251_{6} *cepit, īllĭūs trādĭdĭt*; 361_{22} *aut factum īllĭūs cōmprŏbārĕ vŏlŭit*; 377_{13} *summa tōtĭūs dōtis dāmnāvĭt*; 377_{28} *verecundiam īllĭūs sæcŭlī lāudēmŭs*; 386_{2} *apud tribunal īllĭūs pōstŭlāvĕrăt*; 431_{22} *gentis īpsĭūs fĕrĭtās*; 470_{19} *perinde atque īpsĭūs fīlĭūm rĕtēntŭm*. Sed *i* producta meliorem clausulam habes: 160_{7} *mors ipsīŭs ĕxīstĕrĕt*; 392_{8} *numen ipsīŭs īndūstrĭæ sūspēxĭt*.

3) *eius* genetivus efficit trochaeum:

48_{25} *fausta proles ēiŭs sē nōbīs ŏffĕrt*; 111_{20} *extremam ēiŭs pārt(em) ōccŭpāvĭt*; 118_{14} *gladius ēiŭs ēlapsŭs dēcĭdĭt*; 154_{12} *nonne par ēiŭs cōnstāntĭă*; 202_{20} *benevolentia tamen ēiŭs nōn cărŭĭt*; 317_{7} *hominum scholam ēiŭs īntrāvit*; 341_{18} *irae ēiŭs ōppōnĕrĕt*; 404_{15} *cotidiano usu ēiŭs callēbānt*; 419_{17} *latera ēiŭs cīngēntĭbŭs*; 455_{28} *consilio ēiŭs ōbtēmpĕrarĕt*; praeterea 113_{19}; 202_{15}; 245_{25}; 288_{6}; 393_{18}. Cf. Vell. Pat. 36_{9} *in verba ēiŭs iūrāssĕt*; 55_{22} *ad arbitrium ēiŭs pērsōlvĕrēntŭr*; 68_{17} *gloriae ēiŭs ādstrūxĭt*; 93_{6} *partibus ēiŭs sē mīscŭīssĕt*.

4) *ei* dativus pronominis demonstrativi in unam syllabam contrahi mihi videtur:

23_{20} *interrogavīt quŏd ēi nōmĕn ēssĕt*; 195_{13} *ōbvĭ(am) ēi prōcēssīssĕt*; 293_{13} *vultu dēxtĕr(am) ēi pōrrēxīssĕt*; 321_{23} *Psophīdĭ(um) ēi trādĭdĭt.*

Sed 365_{25} *anulos quoque suōs ĕī trādĭdĭt.*

5) *eis* dativus duas syllabas efficit:

65_1 *si qua ēx ĕīs īmprŏbāssēnt*; 143_4 *sella posita iūs ĕīs dīxĭt.*

§ 10.

Miscellanea.

1) *mŏdō:*

166_{22} *tantūmmŏdō lāudābātŭr*; 242_4 *quorūm mŏdō cāsūs rēttŭlĭ*; 401_{25} *a Lysippo tantūmmŏdō vŏlŭĭt.*

2) *dĭū:*

22_{20} *aliquāmdĭū pērsēdīssĕt*; 44_4 *neutra aciēs ălĭquāmdĭū pĕdēm rĕfērrĕt*; 301_{31} *aliquamdiū rĕpūgnāvĭt*; 367_{27} *aliquāmdĭū pāssŭs ēst*; 429_{12} *aliquāmdĭū tĕnŭĭt.*

3) Adverbia velut *frustra, postea, supra* productam *a* habent:

102_{15} *pōstĕā cēnsōr fāctŭs ēst*; 133_{16} *frustrā fătīgāvĭt*; 129_{22} *quæ sŭprā rēttŭlī*; 336_{20} *quem pōstĕā dēfēnsūrŭs ēssĕt*; 403_{22} *frustrā tĕrēbātŭr.*

4) *-o* finiens in nominativo III. declinationis longa est ut:

143_{25} *inimicorum accusātĭō pŏtĕrăt*; 172_{12} *rerum mēntĭō fĭerĕt*; 269_4 *calamitatis accēssĭō fŭit*; 344_{21} *nūllă sūspīcĭō sŭbĕrăt*; 411_{23} *conligātĭō sōlvĕrētŭr*; 424_{14} *Catilinæ lībīdō scĕlēstă*; 117_{12} *ūsŭs ēst Scīpĭō Mĕtēllŭs*; 315_{11} *Q. Cæpĭō prœcŭcurrĭt.*

Brevis esse videtur haec vocalis in gravibus syllabis nominum propriorum[1]):

---

[1]) Noli oblivisci o vocalem in nominibus propriis ex Ovidii temporibus corripi solere. Cf. Luc. Mueller ‚De re metrica'[2], Petropoli et Lipsiae 1894 p. 23, 34 sqq.

238_{18} *ălius Cĭcĕrŏ nōn ēxtăt*; 155_{19} *terribilia Pīsŏ cōntēmpsĭt.*

Caput III.

Clausulae quid valeant in vocabulis eligendis et collocandis.

Si inquirimus, quanta vis numerorum apud Valerium fuerit in vocabulis eligendis et collocandis, exequimur id, quod Norden optimo iure flagitavit: „Diese Frage (d. i. die manierierte Wortstellung) muss für alle Autoren der Kaiserzeit im Zusammenhang mit der rhythmischen Gestaltung der Diktion untersucht werden"[1]). Verum et Velleium respiciemus, ut videamus quo modo hi scriptores in dicendi genere congruant et quantam operam adhibuerint ut vel brevissima enuntiata numerose conformarent.

§ 1.

De *esse* copula.

Esse copulam numerorum causa persaepe a verbo seiunctam aut ante verbum positam invenies. Exempli gratia proferimus:

1) de clausula I:

22_{11} *cōngrŭēns ēssĕt ăudītă;* 94_8 *Punica classis ēssĕt ōpprēssă*; 144_{19} *leges a se ēssĕ sērvātās*; 198_{25} *ne qua ei vis ēssĕt ăllātă;* 281_{12} *iussu ēssĕt ōccīsŭs*; alia: 68_3; 84_2; 270_{18}; 315_3; 371_{18}; 379_5; 410_3; 417_{15}; 437_{31}. Vell. Pat. 2_{24} *dūx ăb hōst(e) ēssĕt ōccīsŭs*; 42_{21} *ēssĕt ēxcīsă*; 84_{30} *in Pōllĭōn(em) ēssĕ cōllātŭm.*

Ergo *esse* copula molossicis verbi formis praemitti solet.

2) de clausula II:

67_9 *cōllēgă mīlĭtĭbŭs ēst trādĭtă*; 74_1 *huiusce lūsūs iūs ēst dătŭm*; 153_{23} *sīcŭt ĕrānt trādĭtæ.*

[1]) Norden l. a. I p. 304.

3) de clausula III:

31_{28} *mōx ĕrās trānsĭtūrŭs*; 71_3 *repēntĕ sūnt lībĕrātī*; 188_2 *amaritūdĭnĭbūs sĭt rĕfērtă*; praeterea 86_{27}; 129_5; 372_3.

4) Numeri gratia inter verbum et copulam interponitur:

α) nomen quoddam: 70_3 *minus trītă nōtĭtĭā (e)st*; 71_{26} *opibus secūtă lātĭtĭā (e)st*; 465_4 *quaesītă cūstōdĭā (e)st*; Vell. Pat. 2_{27} *secūtă vīctōrĭā (e)st*; 53_{18} *fāctă prōvīncĭā (e)st*; 68_{22} *in Hispaniam comitātă fōrtūnā (e)st.*

β) verbum quoddam: 130_1 *conātŭs ōccīdĕr(e) ēst*; 240_{26} *patria iūssŭs ēxcēdĕr(e) ēst.*

5) Comparandi causa annectamus paucos quosdam locos, qui solitum verborum ordinem habent:

11_6 *genere mōrbī cōnsūmptŭs ēst*; 11_{15} *litŏrĭbŭs īllīsŭs ēst*; 36_{12} *instaurātĭōn(e) ēxpĭat(a) ēssĕt*; 64_4 *urīnā rēspērsŭs ēssĕt*; 155_{12} *renūntĭātūrŭs ēssĕt*; alia habes 22_2; 59_5; 62_1; 92_{10} etc.

§ 2.

De verbi regentis collocatione rhythmi gratia mutata.

Verbum regens, etiamsi post infinitivum poni solet, interdum ante infinitivum constructum vel ab eo diremptum substantivo quodam invenimus. Quam rem propter clausulas esse factam haec exempla declarent:

1) Verbum regens praecedit infinitivo:

35_{23} *si pōssĕt āvērtī*; 154_{10} *rei publicae permīsĭt īrāscī*; 193_{11} *paupertati pōssĕ prǣfērrī*; 214_8 *cōnstăt hăbŭīssĕ*; 221_7 *infelicis scīrĕ mĭsĕrērī*; praeterea talia habes 41_1; 234_8; 335_8; 341_8; 465_{21}.

Qua verborum inversione saepissime clausula heroica vitatur[1]) velut:

301_{24} *iūssīt dēsīstĕrĕ*; 303_{12} *nĕgābăt aŭdērĕ*; 338_{17} *urbem iūssĭt īncēdĕrĕ*; alia invenies 12_{24}; 223_{28}; 304_{24}; 324_{10}; 396_{10}; 413_9; 436_{15} etc.

---

[1]) Cf. p. 19 sqq.

Vell. Pat.: 65_{10} *legiones pōssēt trānsmīttĕrĕ*; 97_{20} *mālĭt ŏccīdĕrĕ*; 113_{4} *ne qua pōssĕt ērūmpĕrĕ.*

2) Nomen quoddam inseritur:

27_{15} *convelli sīgnă iūssīssĕt*; 113_{4} *quod imitari Rōmŭlūm vălŭĭt*; 162_{3} *falso interpellari īndĭcĭō nōlŭērūnt*; 173_{9} *cuinam adiudicari mēnsă dēbērĕt*; 320_{17} *ut sufficere labōrĭbūs pōssĕt*; alia habes 78_{13}; 155_{3}; 190_{14}; 204_{4}; 211_{29}; 212_{2}; 241_{22}; 353_{19}; 374_{13}; 392_{22} alibi.

3) Vsitatam autem verborum consecutionem invenimus exempli causa:

31_{18} *errorem inhibērĕ vŏlŭīssĕ*; 46_{10} *Rōmăm mīgrārĕ vēllĕt*; 92_{4} *securi pērcŭtī iūssĭt*; 139_{7} *aut ius dīcĕr(e) ūdērĕt*; 153_{12} *funditus delērĕ cōnstĭtŭĭt*; praeterea 43_{9}; 57_{15}; 242_{3}; 337_{13}; 342_{16}; 357_{26}; 362_{24}; 446_{11}.

Ex his, quae protulimus, intellegi potest illam inversionem evitatam esse, si recta verborum collocatio bonum rhythmum efficiebat.

§ 3.

Cum subiectum vel obiectum verbo antecedere soleat, verbum regens nonnunquam anteponitur velut:

1) 34_{4} *instillāssĕ vĭdēntŭr ălĭmēntă*; 42_{17} *cum ōbsĭdērēt Sȳrācūsās*; 48_{12} *manāvĭt ad pōstĕrōs*; 155_{14} *offusam ēssĕ rēm pūblĭcăm*; 216_{14} *etiamsi expirāssĕt ădŭlēscēns*; 218_{17} *in quo sceleste exērcĕās ārmă*; similia inveniuntur 136_{11}; 149_{1}; 186_{30}; 221_{3}; 224_{16}; 246_{6}; 272_{1}; 309_{7}; 401_{18}.

2) Quem verborum ordinem permultis locis usurpavit Velleius. Terminat enim enuntiata:

a) vocibus, quae tertium epitritum — — ⏑ — explent velut *ĕxērcĭtŭs*, *Āntōnĭŭs.*

Habes igitur 44_{23} *contrāxĭt ĕxērcĭtŭm*; 60_{16} *in Britanniam traiecīssĕt ĕxērcĭtŭm*; praeterea 62_{11}; 74_{13}; 86_{11}; 92_{16}; 108_{13}; 116_{12}; 75_{10} *quos mīsĕrăt Āntōnĭŭs*; 75_{19} *lacerābăt Āntōnĭŭm*; idem habes 75_{6}; 75_{22}; 83_{16}; 84_{28}; 92_{17}; 35_{16} *alteri possent ēssĕ sōlācĭŏ*; 51_{4} *inductŭrŭs cālīgĭnĕm*; 53_{12} *subēgĭt Aetōlĭăm.*

b) verbis choriambicis ut *Ārmĕnĭă*:

25_{13} *merito opprēssĭt īnvĭ́dĭă*; 52_{2} *Pompeius intrāvĭt Ārmĕ́nĭăm*; 52_{18} *terminātŭs Ārmĕ́nĭă*; 64_{11} *transmisērĕ Dȳrrắchĭŭm.*

c) verbis creticis:

35_{10} *profūgĭt ē cārcĕrĕ*; 59_{28} *recēptŭs ēst lǣtĭŭ̆s*; 86_{9} *corrūmpĕrēt mīlĭtĕm.* Quocirca Velleius sententias dedita opera concludit hunc in modum: 90_{19} *transfūgĭt ād Cǣsărĕm*; conferas velim 91_{11}; 110_{7}; 117_{6}; 123_{19}.

d) vocabulis molossicis, nam semper scribit *dūxĭt ūxōrĕm, conciliāssĕt ūxōrĕm*: 58_{28}; 71_{4}; 86_{2}; 98_{30}.

§ 4.

Non raro adiectivum quoddam a substantivo suo seiungitur verbo idque clausularum gratia factum esse puto, praesertim cum omnibus huius modi locis aptus rhythmus efficiatur. Cui rei documento sint haec exempla:

1) Val. 3_{2} *perita deēssĕt āntīstĕs*; 8_{11} *efferatam mitigārĕ sǣvitĭăm*; 36_{14} *summum implicārĕt īmpĕ́rĭŭm*; 133_{14} *sed mortem rēddĭdīt clārĭōrĕ́m*; 167_{29} *pessimi ēssĕt ēxēmplĭ̆*; 254_{5} *clarius obversātŭr ēxēmplŭm*; praeterea 28_{1}; 49_{6}; 238_{29}; 243_{21}; 290_{13}.

Eadem de causa substantivum et pronomen discinduntur ut:

151_{19} *ac Liguriae vires in suām rĕdāctās pŏtēstātĕ̄m*; 221_{20} *idem evāsĭt ēxēmplŭm*; 308_{1} *per sua ēgīt prǣcōrdĭă.*

2) Vell. Pat. 92_{9} *pro absente dīmĭcāssēnt dŭcĕ*; 96_{14} *Romano inferrētŭr īmpĕ́rĭŏ*; 106_{9} *immensum exārsĕrāt bēllŭm*; 120_{6} *equestris cōnsĕcūtŭs grădŭ̆s*; alia 24_{2}; 68_{7}; 98_{28}; 120_{6}.

3) Quae traiectio verborum, ubi numeris non postulatur, vitatur:

140_{11} *aliqua inutili relātĭōn(e) īmplĭcĕr*; 216_{6} *qui eum pūblĭcō fūnĕr(e) ēffĕrrĕt*; 223_{16} *capitale sūpplĭcĭŭm sūmĕrĕt*; 244_{14} *salutari pācĕ mūtāvĭt*; 266_{20} *honorem dēbĭtŭm rēddĭdĭt.*

§ 5.

Nec minus notabile est, quo modo genetivus pendens a' substantivo quodam clausularum gratia ponatur; collocatio enim est:

1) substantivum, genetivus, verbum:

36_2 *fata pātrĭāē hǽrĕt*; 77_8 *alimenta inĕrtĭāē quǣrūnt*; 151_{23} *ante pedes hŏmĭnĭs ēffūdĭt*; 169_3 *illum honorem vōcĭs ādiēcĭt*; 371_{17} *genus defensiōnĭs āmplēxŭs*; praeterea 193_5; 393_{20}; 397_5.

2) genetivus, substantivum regens, verbum:

188_{22} *sepulturae honōrĕ cărŭīssĕt*; 192_{11} *Dotatae cognōmĕn īnvĕnĕrĭt*; 209_{11} *excusationis vērbă quǣrēbăt*; 249_3 *pietatis testimōnĭŭm rēddō*; 467_6 *similitudinis exēmplă rĕfĕrēmŭs*; similia habes 202_1; 249_{11}; 250_{19}.

3) genetivus, verbum, substantivum:

23_1 *ad certi ominis procēssĭt ēvēntŭm*; 68_2 *perfidiae dēbĭlĭtāvĭt āuxĭlĭŭm*; 77_5 *stuprorum cōntĭnēnt āctŭs*; 118_4 *tonsoris prǣrĭpŭīssĕt ōffĭcĭŭm*; 411_{21} *Phidiae secūtŭs ēxēmplŭm*; 428_{27} *in Anienis ālvĕūm spārsĭt*; praeterea 177_{22}; 187_{17}; 196_8; 226_{18}; 327_{15}.

Vell. Pat. 41_4 *animi conspicerētŭr ēxēmplŭm*; 70_4 *iduum Martiarūm căvērēt dĭēm*; 117_9 *maximi belli consummāvĭt ēffēctŭs*; 130_{22} *victoriae praecēdĕrēt nūntĭŭs.*

4) substantivum, verbum, genetivus. Duo exempla e Velleio enotavi:

45_1 *qua flos commendātŭr ǣtātĭs*; 64_6 *titulum retinērĕ prōvīncĭǣ.*

§ 6.

De ablativo absoluto.

Cum Valerius ablativi absoluti verba numeris claudere soleat, operae pretium esse videtur animadvertere, quo modo verborum consecutionem rhythmo accommodarit.

1) Ablativus absolutus complectitur perpaucas voces

a) easque binas: substantivum et verbum:

191_6 *Pérsē dēvíctō* = 217_1; 395_{14} *rēgĭbŭs ēxáctīs*; 445_9 *impunitātĕ prōmīssă*; sed 118_{26} *īntĕrēmptō sĕnātŭ*; 201_5 *cōmmūtātāquĕ vēstĕ*; 349_{27} *dēpŏsĭtīs ārmīs* = 358_{18}; 455_{30} *initōquĕ cērtāmĭnĕ.*

b) constructio habet ternas vel quaternas voces:

89_{14} *Perse rēgĕ sŭpĕrātō*; 107_{19} *ea ūrbĕ dēvīctā*; 197_{21} *morte enim uxōrĭs audītā*; 32_1 *mactatōqu(e) ŏpīmō bŏvĕ*; 142_1 *bene gēstā rē pūblĭcā*; 256_6 *auctōrĕ Quīntō Mĕtēllō*; 327_{20} *admoto iam lăbrīs pōcŭlō*; 102_1 *dereptīs ĕquīs pūblĭcīs.* Alia reperiuntur 28_{25}; 94_7; 123_{16}; 148_{23}; 182_4; 189_{22}; 203_{29}; 212_{29}; 213_5; 265_6; $299_{7|8}$; 306_5; 431_{19} etc.

2) Plures voces faciunt ablativum absolutum; collocatio est:

a) substantivum, attributa, verbum:

3_{24} *eaque re ab auguribus ăd sĕnātūm rĕlātā*; 231_8 *M. Cornuto praetore . . . iussū sĕnātūs lŏcāntĕ*; 291_{27} *civitate nostra Cannensi clādĕ pĕrcūlsā*; 340_{10} *sex adiutoribus eiusdem dignitātĭs āssūmptīs.* Praeterea: 3_{24}; 9_{22}; 212_{27}; 276_{56}; 301_7; 470_3.

b) verbum, attributa, substantivum:

45_{16} *paventibusque inusitato spectācŭlō nāūtīs*; 90_{10} *quassatis et attritis rei pūblĭcaē vīrībŭs*; 219_1 *captis a sē Sўrācūsīs.* Alia habes 2_{21}; 104_9; 148_{20}; 238_6; 345_{13}; 376_{21}.

§ 7.

De *se* pronomine.

Quisquis Valerium vel Velleium legerit, sine dubio mirabitur, quam varia ratione *se* pronomen collocatum sit. Clausulas etiam in hac re aliquid momenti habuisse haec demonstrabunt:

1) *se* pronomen reflexivum Valerius plerumque a verbo dirimit et in initio membrorum ponit idque proximum a coniunctione[1]), si est enuntiatum coniunctionale; habes enim: 170_{20} *dum se Pythagorae praeceptis Metaponti pĕnĭtŭs īmmērgĭt*;

[1]) Id notum est fieri secundum legem Wackernagelianam (Indogerm. Forsch. I 460 sqq.).

328_3 *qui se incursuī mălōr(um) ōbĭcĭt*[1]; alia 160_3; 245_9; 264_{12}; 366_{24}. Interdum autem hoc pronomen ante verbum suum invenitur. Quam rem esse factam rhythmi causa, verba velut *se abstinere*, *se conferre* optime ostendent. Nam solita collocatio invenitur his locis:

33_6 *ut se ab incepto prōpŏsĭt(o) ābstĭnērĕt*; 258_8 *ut se ab ea ōppūgnānd(ā) ābstĭnērĕt*; 43_3 *quorum alter se ad hōspĭtēm cōntŭlĭt*; 81_{16} *in quod se mātrōnæ cōnfĕrēbānt*; 114_3 *cum se in Capitolium et in ārcēm cōnfĕrrēnt*; 217_{13} *ac se in hospitium Alexandrini pictōrĭs cōntŭlĕrăt*; 3_{26} *et se cōnsŭlāt(u) ābdĭcāvērūnt*; 316_{19} *quinquaginta sē tălēntīs rĕdēmĭt*; praeterea 48_{25}; 91_9; 101_{14}; 164_{24}; 293_{11}; 310_2; 316_{24}; 377_5; 432_{14}.

At contra 35_2 *ut proximo die cūrĭā s(e) ābstĭnērĕt*; 73_{22} *Tibur irātī sē cōntŭlērūnt*; 112_9 *quamquam et numero . . . superiōrĕm sē crēdĕrĕt*; 182_7 *ut . . . praestandi ŏnĕrĕ sē lībĕrārĕt*; alia 62_{10}; 118_2; 157_9; 168_{17}.

Neque aliter ac Valerius Velleius *se* pronomen collocat; habes enim:

93_6 *pārtĭbŭs ĕiŭs sē mīscŭīssĕt*; 108_{18} *Caesarīquĕ sē iūnxĭt*; sed 36_{26} *ita se dubium mediumque pārtĭbūs præstĭtĭt*; 65_1 *se Cæsărī trādĭdĭt*; praeterea 8_{18}; 37_{21}; 73_{23}; 80_{24}; 104_{21}.

2) Vt oratio apte cadat, *se* subiectum accusativi cum infinitivo coniuncti ante verbum regens ponitur ut:

44_{30} *īmpĕtrātūrăm sē crēdĭdĭt*; 45_5 *patriae latūrōs s(e) ēxīstĭmāssēnt*; 50_{22} *vīvĕrĕ sē prŏclāmāvĭt*; 78_{14} *venēnō cōnsūmĕrĕ sē dēstĭnārĭt*; 250_8 *occisūrŭm sē mĭnĭtāns*; 263_{26} *indigērĕ sē crēdĭdĭt*; 438_{16} *ălĕrĕ sē prædĭcābăt*; Vell. Pat. 20_5 *quem illi recipere sē nĕgāvērūnt.*

Quae inversio vitatur, si solita vocum consecutio clausulam format ut:

38_{10} *retiari sē mănū cōnfŏdī vīdĭt*; 48_2 *ei se sērvārĕ dīxīssĕt*; 206_{23} *Brutum se ēssĕ sĭmŭlāvĭt.*

---

[1]) Cf. ea, quae p. 32 de compositis *iaciendi* verbi diximus.

§ 8.

De *causa* et *gratia* praepositionibus.

Memoria dignum est *gratia* praepositionem a Valerio *causa* formae multo antepositum esse. Nam cum *gratia* sexies tricies, *causa* sedecies auctorem adhibere invenerim, nescio an id fecerit idcirco quod *gratia* verbum ei magis placuerit. Compluribus autem locis *causa* positum esse, ut bonus rhythmus efficeretur, persuasum habeo. Legis enim:

23_6 *Mintūrnīs cūstōdĭǣ cáusă dēdūctŭs ēst*; 53_9 *irridendi cáusā cōnsŭlŭĭt*; 58_{14} *sterilitatis cáusā dīmīsĭt*; 118_1 *resecandṓrŭm cāusā pŏpōscit*; 148_7 *qui rei pūblĭcǣ cāus(a) ăbēssēnt* (grāti(a) ábēssēnt!); 158_{27} *qui in ea custōdĭǣ cāus(a) ĕrant*; 435_{18} *consulendi cáusā vènīssēnt.*

Sed habes:

2_{23} *disciplinae grātĭā trādĕrēntŭr*; 121_{19} *prandendi grātĭā pósĭtă mēnsā*; 132_{21} *indicandorum grātĭā cōnscĭōrŭm.*

Praeterea *causa* ablativum hic atque illic a Valerio allitterationis gratia delectum esse puto[1]); cui rei sint documento:

151_6 *contumeliae causa cūrăm māndārēnt*; 389_{22} *cum cibi capiendī cà̆usā rĕcŭbŭīssĕt.*

Eadem de causa invenis ter *custodiae causa*: 23_6, 158_{27}, 445_5, nec nisi 79_{21} *custodiae gratia.*

§ 9.

De *que*, *atque* voculis.

Inter omnes constat scriptores rhetoricos *que* particula saepe usos esse, ut clausulae thesin efficerent[2]). Quod adiumentum a Valerio quoque adhibitum esse haec exempla sunto:

1) *que* vocula adhibetur

a) in clausula I:

---

[1]) Confer ea, quae *de allitterationis apud Velleium usu* scripsit F. Milkau „De Velleii Paterculi genere dicendi", dissert. Regimonti 1888 p. 10sqq.

[2]) Cf. Wolff o. a. p. 633sqq.; K. Ziegler l. a. p. XXVIIIsqq.

41_{26} *pedibūsquĕ sūbiēctŭm*; 78_{19} *facundissimōquĕ sērmōnĕ*; 132_{18} *fortunāmquĕ mūtāvĭt*; 323_{20} *metuīquĕ dēbērĕ*; 445_{10} *victoriāmquĕ nōn mĕrŭit*; idem habes 43_{9}; 48_{19}; 97_{21}; 114_{11}; 144_{14}; 194_{7}; 252_{21}; 388_{11}; 435_{2}.

b) in clausula II rarius:

117_{5} *dūmquĕ s(e) ūlcīscĭtŭr*; 180_{14} *exērcĭt(um) ūrbēmquĕ dītāvĕrăt*; 233_{20} *uxori liberīsquĕ prœcēpĕrăt*; 406_{20} *septēmquĕ tāntūmmŏdŏ*; alia 32_{1}; 118_{29}; 455_{30}.

c) in clausula III:

10_{12} *suāmquĕ vĕnĕrātĭōnĕm*; 35_{20} *matrīquĕ Tērrœ dēbērĭ*; 120_{19} *suōsquĕ cōmmīlĭtōnēs*; 442_{16} *dīlĭgēntērquĕ cōnsīdĕrāvĭt*.

Praeterea 43_{23}; 86_{22}; 92_{6}; 201_{6}; 278_{1}.

d) in ceteris clausulis:

45_{27} *circūmdĕdīt pērquĕ trēs dĭēs*; 47_{26} *capiendōsquĕ Rōmānīs trādĭdĭt*; 193_{17} *extruāntŭr ārœquĕ cōnsĕcrēntŭr*; 213_{8} *attonitās păvēntēsquĕ dēcĭdīssĕ*; 438_{27} *sūscĭtātōquĕ pūlvĕrĕ*.

Quae omnia ut comprehendamus, Valerius *que* particulam ad clausulam formandam adhibuit in structura I septies vicies, in clausula II octies, in forma III sedecies, in reliquis undecies. Prae aliis igitur Valerius illud instrumentum raro usurpavit, quod facilius intellegitur, si mecum statuis *-m* et *-s* litteras esse abiectas; qua re Valerio satis multae syllabae breves ad clausulas formandas praesto erant.

2) Quae cum ita sint, *atque* voculam ante consonantem a Valerio, ut rhythmum efficeret, raro esse positam statim conicies. Revera *atque* ante consonantem invenitur:

a) in clausula quinquies tantum:

α) ante *c* quater:

236_{6} *Numantia ātquĕ Kārthāgĭnĕ*[1]; 357_{30} *prandia ātquĕ cēn(ae) ēxtĭtērūnt*; 380_{1} *sed perinde ātquĕ cōnfēssūs ēssĕt*; 434_{3} *āllĭgāt(a) ātquĕ cōnstrīctă*.

β) semel ante *g*: 218_{6} *affēctūs īr(a) ātquĕ glōrĭă*;

γ) semel ante *s*: 313_{21} *integērrĭm(e) ātquĕ splēndĭdīssĭmĕ*, sed de hoc loco infra disputabimus.

---

[1]) *Karthagine* ita scriptum LA codices exhibent.

b) extra clausulam autem

α) ante *c* undecies: 5_{29}; 73_{10}; 97_{8}; 118_{22}; 124_{14}; 193_{16}; 311_{8}; 334_{27}; 415_{22}; 450_{11}; 468_{24}.

β) binis locis ante *d*, *f*, *l*, *n*, *t*: 200_{3}, 353_{16}; 86_{9}, 426_{20}; 47_{11}, 461_{18}; 416_{10}, 425_{24}; 101_{3}; 192_{19}.

γ) singulis locis ante *m* et *qu* et *v*: 235_{12}; 211_{29}; 370_{19}. Duos numeros a Valerio nonnullis locis per *atque* esse coniunctos iam annotavit Kempfius[1]); exempli causa profero 370_{19} *centum atque viginti*; cf. praeterea 101_{3}; 192_{19}; 211_{29}.

§ 10.

De verbi formis imminutis.

Ne illud quidem neglegendum est, quod Valerius, ut aptum rhythmum nanciscatur, imminutis verborum formis utitur:

1) in clausula I:

25_{1} *opem fĕrrēnt ŏrāssēnt*; 34_{15} *quod cum Cæsăr āudīssĕt*; 41_{10} *Asiaticas gentēs īnūndāssĕ*; 51_{9} *mortis vīsā nārrāssĕ*; 51_{27} *concubitūm vŏlūntārĭā mōrtĕ pēnsārūnt*; 90_{25} *cōndĭcĭōnēm rĕlēgāssĕt*; 96_{26} *maestī trŭcīdārūnt* = 447_{15}; 127_{20} *mænĭ(a) īntrāssĕt*; 159_{2} *ādmĭnīstrāssēnt*; 349_{9} *tueri pĕrsĕvērāssĕt* = 417_{13}.

Alia reperiuntur 118_{2}; 182_{6}; 185_{11}; 208_{3}; 226_{1}; 266_{13}; 308_{6}; 340_{14}; 377_{22}; 399_{23}; 423_{22}; 440_{14} etc.

2) Quod instrumentum ad dicreticum constituendum rarissime usurpari posse manifestum est. Vnum exemplum enotavi:

51_{14} *inservĭĕrăt ŏblītŭs ēst.*

3) At in structura III hae formae saepissime occurrunt: 9_{5} *infelīcĭtēr dīmĭcāssĕ*; 61_{26} *senātŭī nūntĭāssĕt*; 91_{1} *rei pūblĭcæ iūdĭcāssĕt*; 177_{3} *līttĕrīs īmplōrāssĕt*; 298_{22} *partem cīvitātĭs ēxāspĕrāssēnt*; 376_{16} *mōrtĕ nōn mātūrāssĕt*; praeterea 45_{6}; 70_{11}; 78_{14}; 93_{11}; 99_{19}; 130_{6}; 132_{8}; 152_{6}; 377_{17}; 394_{21}; 424_{3}.

---

[1]) Val. Max. ed. C. Kempf, Berolini 1854, p. 231.

Caput IV.

De arte critica.

Cum rhythmus oratorius in re critica summi momenti sit[1]), nostrum est egregium illud instrumentum Valeriani quoque textus formae restituendae adhibere. Sed ne quis dicat nos numeris nimium tribuisse, perpauca de ratione nostra praemittenda sunt. Atque clausulis quidem semper adducti sumus, ut de singulis locis disputaremus. Neque tamen usquam clausulis solis in tractanda re critica nitemur, sed ubique non solum sensus verum etiam generis dicendi Valeriani accuratissime rationem habebimus. Qua in re verborum indici Torrenianae[2]) permultum debemus, sed plurima nobis ipsis colligenda erant, quia Torrenius non omnia congessit. Praeponemus autem ubique textum editionis Kempfianae minoris.

2_{24}: . . . *Cererique quam more Graeco venerari instituerant, sacerdotem a Velia, cum id oppidum nondum cīvĭtāt(em) ăccēpīssĕt, nomine Calliphanam peterent* . . . [*civitatē accepisset nomine* L, *civitatis acc. nomen* A et dett. omn. Halm].

Clausulae aperte demonstrant L cod. lectionem veram esse, quae sola Valerii consuetudini respondet. Primum enim Valerius, ut id quod nos „Bürgerrecht“ dicimus significet, ipso verbo *civitatis* utitur ut 230_{20} *duas cohortes . . . civitātĕ dōnāvĭt*, 441_5 *de civitate Italiae danda*; praeterea 109_8, 109_{19}, 152_8, 196_5, 410_{16}. Tum vero manifestum est verba *sacerdotem . . . Calliphanam* non ita seiungi potuisse nisi *Calliphanae* nomen cum attributo quodam coniunctum esset. Ac nostrum illud „mit Namen“ persaepe a Valerio redditum esse ablativo *nomine* hi loci ostendant:

22_{13} *decesserat autem catellus . . . nomine Persa*; 25_1 *atque illi flumen vicinum . . . nomine Aeantem*; 452_{18} *satellitem regium, crudelis operis ministrum nomine Caeneum*;

---

[1]) Cf. p. 5 annot. 3.

[2]) Val. Max. ed. Abrah. Torrenius, Leiden 1726.

468_{15} *Regi Antiocho unus ex aequalibus et ipse regiae stirpis, nomine Artemo, perquam similis fuisse traditur*; alia habes 22_{10}, 109_{26}, 196_{7}, 211_{15}, 275_{17}, 432_{7}.

6_{21} sqq.: *ubi omnibus sollemni more peractis* [Q. Fabius Dorsuo] *in Capitolium prope divina veneratione victricium armorum perīndĕ vīctōr rĕdĭīt* [*perinde victor* A; *perinde ac victor* L dett. Halm; *redit* L A[1]]. Vix dubitari potest, quin L cod. verba *perínd(e) āc vìctōr rĕdĭ̆t* in textum recipienda sint, cum et clausulae et sensui optime respondeant. Nam praeterquam quod Valerius *perinde ac* particularum coniunctionem frequentat ut 25_{4}, 42_{19}, 45_{19}, 75_{31}, 99_{20}, 128_{8}, 161_{23} etc., legis similem in modum 225_{18} sqq.: *Campani autem exercitum nostrum . . . perinde ac victorem . . . venerabiliter exceperunt.*

De *rĕdĭ̆t* forma conferas velim 166_{7} *in grātĭām nōn rĕdīssĕ*, 390_{14} *Anaxagorās ăd ĕōs rĕdīssĕt* et ea, quae p. 64 dicemus [1]).

7_{3} sqq.: *Si quidem in agro L. Petili scribae sub Ianiculo cultoribus terram altius versantibus, duabus arcis lapideis repertis, quarum in altera scriptura indicabat* c o r p ū s *N ŭ m ǣ Pōmpĭ̆lī fŭīssĕ, in altera. . .*

Contra codicum auctoritatem Wenskyus[2]) *corpus Numae Pōmpĭl(i) ĭnēssĕ* scribi vult, quod Kempfio rectum esse videtur. Quam coniecturam reiciendam esse e rhythmo satis elucet, nam Valerius talia enuntiata numeris claudere solet. Exempli causa profero:

10_{20} *ex duobus filiis . . . āltĕrūm dḗcēssíssĕ, alterum graviter audīssĕt ādfēctŭm*; 35_{18} *ex altera acie īmpĕrātōrĕm, ex altera exercitum diis Manibus matrīquĕ Tèrrǣ dēbērī*; 43_{3} *quorum alter se ad hōspĭtēm cōntŭlĭt, alter in tabērnăm mĕrĭtōrĭām dēvērtĭt*; 129_{13} *ita āltĕrī tēctŭm mēndācĭŭm, alteri veritas aperta fīnĭs vìtǣ fŭĭt*; 366_{18} *quorum alterum atrocitās nĕcĭs mōvĭt, āltĕrūm cāusă flēxĭt.*

---

[1]) De verborum formis imminutis vide etiam p. 44.

[2]) Wensky in Fleckeiseni annalibus 1884 p. 777.

Accedit, quod Valerius *inesse* verbum semper coniungit cum dativo neque usquam cum *in* praepositione et ablativo[1]). Cui rei sint documento haec 65_{13} *sacrificiisque p puli Romani . . . hominum continentia inerat*; praeterea 198_{16}; 293_{28}; 314_{2}; 325_{9}; 430_{13}; at 33_{7} *et si quod vestigium in vaecordi pēctŏrĕ sēnsūs fŭīssĕt.*

7_{21} sqq.: *idque supplicii genus multo post parricidis lege inrogatum est, iustissime quidem, quia pari vindicta parentum ac deorum violatio ēxpĭāndā (e)st* [sic dett. Kempf]. At L et A, optimi codices, tradunt *ēxpĭand(a) ēssĕt.* Quam ut lectionem cum Halmio teneamus, commovent nos clausularum auctoritas et modus coniunctivus, positus e sensu subiecti logici, legislatorum, sicut *dedisset* in eiusdem capitis versu 20.

8_{6}: Iure Halmius et Kempfius scribunt *in contrarium dato consilio Karthāgĭnēm pĕtĭĭt,* quamquam LA codd. suppeditant *pĕtĭt* et edd. nonnull. vett. *Karthāgĭnēm rĕpĕtĭĭt* e coniectura scripserunt. Quanta enim neglegentia librarii in hac re fuerit, ex his concludere licet: *pĕtĭĭt* sine dubio nobis restituendum est, ubi codices *pĕtĭt* tradunt: 8_{6} *Karthāgĭnēm pĕtĭĭt* [*pĕtĭt* LA], 73_{24} *a Tibūrtĭbūs pĕtĭĭt ut* [*pĕtĭt* LA Par.], 95_{4} *prāmĭūm pĕtĭĭt* [*pĕtĭt* LA], 132_{1} *servitute ōbrŭtūm pĕtĭĭt* [*pĕtĭt* LA], 358_{12} *adulescēns dŏmūm pĕtĭĭt* [*pĕtĭt* LA]. Sed recte *pĕtĭĭt* traditum est 236_{26} *a dis immortalĭbūs pĕtĭĭt*, 244_{6} *cāstră Vŏlscōrŭm pĕtĭĭt*, 387_{14} *īncĭpĭt Aēgȳptŭm pĕtĭĭt.* Dubitamus autem de locis quales sunt hi: 245_{8} *prōtĭnŭs ŭrbĕm pĕtĭĭt* [*prōtĭnŭs ŭrbĕm pĕtĭt* LA], 263_{29} *a pătrĭbūs cōnscrīptīs pĕtĭĭt* [*patribūs cōnscrīptīs pĕtīt* LA], 466_{15} *excŭssāe cōmplĕxŭm pĕtĭĭt* [*excussae cōmplēxūm pĕtīt* LA[1]].

At certe *pĕtīt* scribendum est 351_{23} *frustra cōnsŭlātūm pĕtĭt* [sic LA[1], *petiit* Halm, Kempf], 448_{27} *saeva tempestatĕ fāūcēs pĕtīt* [*pĕtĭt* A[1]; *pĕtĭĭt* LA[2] Halm, Kempf].

21_{8}: *Ominum etiam observatio aliquo contactu religioni innexa est, quoniam non fortuito motu, sed divina providentia*

---

[1]) Cf. R. Seelisch „De casuum obliquorum apud Valerium Maximum usu" dissert. Monast. 1872 p. 12 sqq.

constārĕ crēdūntŭr [*crēdĭtŭr* LA Halm corr. Kempf]. Ut omittam Kempfii emendationem clausulis valde probari, etiam sensus *creduntur* scripturam postulat; nam omina ipsa, non observatio ominum constat *divina providentia*.

31_5 sqq.: *Sed invictae leges necessitudinis pectus alioquin prŏcŭl āmēntĭā rĕmōtŭm prodigia ista iusta aestimatiōnĕ pērpēndĕrĕ pāssǣ nōn sūnt* [post *procul* add. *ab* margo L]. Si legimus *prŏcŭl ăb ȧmēntĭā rĕmōtŭm*, oratio elegantius currit; Valerii enim est, complures voces, quae sententiam participii coniuncti efficiunt, numerose terminare. Sermo vero Valerianus, id quod gravissimum est, *ab* praepositionem flagitat. Nam scriptum legis:

5_1 *quia numquam remotos ab exactissimo cultu . . . oculos*; 312_3 *remotos quidem a luxuriae crimine*; 345_2 *ab omni reprehensione procul remota*; 372_{21} *ab hac suspicione procul remotus*; 420_{20} *Oratam remotum a lacu*.

43_{10} sqq.: *pestifero deinde fato eius humanissimum propositum tamquam supervacuum damnavit et lectum āc sōmnūm rĕpĕtĭĭt* [*somn*um* L, *rĕpĕtĭt* LA[1]].

Halmio et Kempfio scribentibus *lectum ac somnum repetiit* assentiri non possumus. L cod. enim praebet *ac sōmn*ūm rĕ́pĕtĭt*, quod facile in *sōmnĭūm rĕ́pĕtĭt* supplendum esse intellegimus, praesertim cum illud caput sit de somnio. Namque Valerius pergit: *sōmnĭūm rĕ́pĕtĭt. tunc idem ei saucius oblatus obsecravit ut. . .* Qua levi emendatione accepta rhythmo et loci rationi satisfit. Alia ex parte clausulae demonstrant recta esse LA codd. verba **34_7** *disertumque Platōnĭs sōmn(um) āttĭgĭ* [falso dett. *Plătōnĭs sōmnĭ(um) āttĭgĭ*].

52_{21} sqq.: *cenanti enim* [Simonidi] *apud Scopam Crannone, quod est in Thessalia oppidum, nuntiatum est duos iuvenes ad ianuam venisse magnopere rogantes ut ad eos continuo prodiret. ad quos egressus nēmĭnēm rēppĕrĭt ĭbĭ.*

Postrema vox rhythmum plane deperdit et superflua esse nobis videtur. Quapropter persuasum habemus illud adverbium esse spurium.

57_{12} sqq.: *Apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihīl gĕrēbātŭr nisi auspiciō prĭūs sūmptō. Quo ex more nuptiis etiam nunc āuspĭcēs ĭntērpōnūntŭr, qui, quamvis auspicia pĕtĕrĕ dēsĭĕrīnt, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestīgĭ(a) ūsūrpāntŭr* [*ūsūrpānt* dett. pauci]. Kempfius[1]) ad hunc locum annotat: „Dass die auspices selbst vestigia genannt werden sollten, ist mir nicht glaublich und der Ablativ ipso nomine möchte schwerlich zu erklären sein. Ich vermute also, dass hinter vestigia ein servantes ausgefallen ist. Vergl. die ganz ähnliche Stelle II 6,7[b] “ (p. 77_{13} *sed index in minimis quoque rebus omnia antiquae consuetudinis monumēntă sērvāntĭŭm*).

Ipsa clausularum auctoritate commoti conicimus mendum esse in *usurpantur* et scribendum esse *vestīgĭ(a) ūsūrpānt.* Vertimus igitur „und nur noch mit ihrem blossen Namen beanspruchen sie die Spuren einstiger Tätigkeit d. h. nur noch ihr Name erinnert an die alten *auspices*“. Qua re bona clausula efficitur et Kempfii dubitatio tollitur[2]).

60_{12} sqq.: *Qua quidem voluntaria statione et corpora et animos ad publica officia impigre sustinenda roborabant brevique processurarum in lucem virtutum suarum verecunda laboris meditatione ipsī dōctōrēs ĕrānt* [sic Aldus, Halm, Kempf; *dōctĭōrēs ĕrānt* LA].

Codicum verba defendi posse putamus, nam Valerius saepius eiusmodi comparativos cum verbis iambicis iungit, ut elegantem clausulam nanciscatur, ut: 67_{19} *quia numero pāucĭōrēs ĕrānt*, 242_{24} *sānctĭōrēs cŏlĭs*, 395_{12} *testātĭōrēs fĭānt*; conferas velim Cic. in Verr. V_{28} *si quae cāstĭōrēs ĕrānt*, Orat. 194 *in syllabas lōngĭōrēs cădūnt.* Iam vero vix dici potest adulescentes brevi meditatione virtutum doctores, dici potest doctiores virtutum fieri. Quod *docti* adiectivo additur genetivus, Valerii temporibus mirum non est[3]). Quae cum

---

[1]) Bursians Jahresb. 1890 p. 263.

[2]) Nunc demum legimus iam Novakium idem quod nos sensisse, sed non affirmasse: České Museum Filologické 9, 1903 p. 32.

[3]) Cf. R. Seelisch l. a. p. 6 sqq.; O. Erdmann „Über den Gebrauch der latein. Adjektiva mit dem Genetiv“ progr. Stendal 1879

ita sint, censemus codicum verba servanda et hoc modo interpretanda esse: assidua exercitatione adulescentes brevi fiebant peritiores virtutum, quas appetebant.

63_2 sqq.: *quem honorem non īnmĕrĭtō cēpĭt* [Molo rhetor], *quoniam summam vim Romanae eloquēntĭ(ae) ădiūvĕrăt* [*adiuvarat* LA]. *Adiuvarat* formam ab Halmio et Kempfio iure reiectam esse rhythmus bene demonstrat. Itemque clausulis observatis laudamus Halmium et Kempfium, quod cum Paride legunt 377_{21} *quantamcumque pŏtŭĭt ădiūvĭt*, etsi LA[1] codd. habent *pŏtŭĭt ădiŭvāvĭt.* Accedit, quod *adiuvi* perfectum, forma solita[1]), a Valerio quoque alibi semper usurpatur:

47_{10} *victoriam Romanōrŭm ădiūvĭt*[2]), 204_7 *āc trĭūmphōs ĕōr(um) ădiūvĭssēnt*; *adiutus* vel *adiuta*: 26_4 *inundatione ullius amnīs ădiūtŭs*, 137_{11} *adiuta disciplina militaris*, 139_3 *fŭĕrăt ădiūtŭs ēssĕt*, 231_3 *partes suas exercitu patērnŏ ădiūtŭs*, 314_{26} *vultu ēiŭs ădiūtŭs.*

Quibus e rebus colligere possumus insolitas formas *adiuvarat* et *adiuvavit* a librario suppositas esse.

63_{12} sqq.: . . . *ut Q. Fabius Maximus . . . a filio consule invitatus ut inter se et lictorem procederet . . . făcĕr(e) īd nōlŭĕrĭt* [sic A, *id***L, om. Par.].

Quae verborum consecutio numeris magnopere repugnat ob eamque rem legimus *id făcĕrĕ nōlŭĕrĭt*, quod L codicis post *id* lacuna nobis indicari videtur. Eodem enim modo scribit Valerius: 35_3 *id fecisse exīstĭmārētŭr*, 196_{22} *sciunt*,

p. 6; Alfr. Haustein „De genetivi adiectivis accommodati in lingua latina usu“ dissert. Halle 1882 p. 48; A. Draeger „Histor. Syntax der latein. Sprache“[2] I 474,5.

1) Neue-Wagener[3] III p. 388, 585; Georges „Lexikon der latein. Wortformen“ Leipzig 1890, p 14; Krebs-Schmalz „Antibarbarus der latein. Sprache“[7] I p. 96.

2) De vitata elisione disseruit A. Kirchhoff „De Apuleii clausularum compositione et arte“, Jahrb. f. klass. Philol. 28. Supplbd. 1903 p. 1 ff. Valerius autem elisionem modo adhibuit modo vitavit; lege enim 119_{22} *ad vindictam ĕxĭgēnd(am) īmpŭlĭt*, 123_{16} *multitudine bărbărōr(um) ădflŭēntĕ*; sed 81_{22} *septimum ānnŭm īmplēssēnt*, 122_9 *laeva pūppĭm ădprēndĭt.*

sed id facere neglegunt, 342_{10} *id facere non potest*, 393_{8} *quapropter id fecisset.*

64_{11}: *Finem profecto fruendarum opum, quibus ad invidiām dĭ(u) ăbūndāvĕrăs, Tarentina civitas, quaesisti* [post *ad invidiam* add. *usque* margo A].

Recte Heraeus[1]) censet *ad invidiam ūsqu(e) ăbūndāvĕrăs* verba Valerii esse, conferens 31_{9} *ad invidiam ūsquĕ cōntrāxĕrăt* et 318_{12} *Ad invidiam usque Polycratis* . . . alia. Accedit, quod auctor *ad usque* vel *eo usque* particula nonnullis locis ad rhythmum efficiendum usus est velut: 41_{16} *eo ūsquĕ crēvīssĕ*, 182_{6} *eo ūsquĕ sătĭāssĕt*, 262_{11} *ad mortem ūsquĕ părātŭs ĕssĕt*, 344_{8} *ad communionem civitatis ūsquĕ pĕnĕtrārūnt*, 449_{22} *ad vaesaniam ūsquĕ tĕmĕrārĭă.*

90_{19}: *si quis bina spolia ex hōstĭbūs tŭlīssĕt.*

Kempfius conicit *referendi* verbum hic cum Nepotiano adhibendum esse idque merito; scribemus autem *ex hōstĭbūs rĕttŭlīssĕt* — cf. p. 30/31 —, non cum Kempfio *ex hōstĭbūs rĕtŭlīssĕt.* Semper enim auctor dicit *spolia referre* velut: 85_{22} *et speciosa spolia referentem*, 112_{23} *spolia Iovi Feretrio rettulit*, 124_{16} *spolia ex hoste rettulisse*; 97_{3} *gladios in castra rettulit.*

91_{1} *dum ne quis ex his mūnĕrĕ văcārĕt aut dono mīlĭtĭǣ dōnārētŭr* [*mīlĭtārī* Par. Halm]. Quamquam iam Kempfius Halmium refellit[2]), tamen facere non possumus, quin rem denuo tractemus. Licet apud Valerium scriptum inveniamus 179_{13} *omnibus donis militaribus* et 410_{28} *dona militaria*, manifestum est hoc loco numerorum gratia *dono mīlĭtĭǣ dōnārētŭr* legendum esse. Aequali modo Valerius semper fere *disciplinae militaris* verbis utitur: 82_{27}, 83_{16}, 84_{15}, 85_{25}, 88_{26}, 89_{19}, 93_{4} etc., sed 92_{15} *disciplinam mīlĭtĭǣ*

[1]) W. Heraeus „Spicilegium criticum in Valerio Maximo eiusque epitomatoribus“ p. 587 in annal. philolog. tom. suppl. XIX 1893 (p. 577 sqq.).

[2]) C. Kempf in programm. gymnasii Leucophaei Berolinensis 1866 p. 16.

cōntĭnēbăt. Quod fieri, ut bona clausula efficiatur, in promptu est.

113_8 sqq.: *quem protinus obtruncatum armis exuit eaque Iovi Ferĕtrĭō dĭcāvĭt* [*Ferĕtrĭō dēdĭcāvĭt* Par.]. Rhythmi gratia Paridis lectio sine dubio in textum recipienda est. Reperies enim *dedicationis* nomen vel *dedicandi* verbum his locis: 46_{21}, 72_{21}, 267_{28}, 268_3, 411_{15}, 437_1; rarius *dicatio* vel *dicare* velut: 5_7, 13_6, 46_2, 207_7. Quas voces a Valerio numeris spectatis variari exempla sunto: 13_6 *decimarum nōmĭnĕ dĭcāvĕrānt*, sed 267_{28} *aedem pōntĭfēx dēdĭcārĕt.*

117_{29} sqq.: *quae, cum Bruti viri sui consilium, quod de interficiendo cēpĕrāt Cāesărĕ, ea nocte, quam dies taeterrimi facti secūtŭs ēst, cōgnōssĕt, . . .* [*cōgnōvissĕt* Par.]. Persuasum habemus hic pleniorem formam *cognovisset* praeferendam esse, quod imminutae formae ab auctore non adhibitae sunt nisi bonam clausulam efficiebant[1]). Qua de causa breviores formae rectae sunt his locis: 107_2 *sedēntĕ cōgnōssĕt* [*cōgnōvīssĕt* Par. et in rasura A], 199_9 *virūm tŭūm Brūtŭm cōgnōssēs* [*cōgnōvīssĕt* Par.], 251_{23} *fluctuārĕ cōgnōssĕt*[2]), 309_{16} *venīssĕ cōgnōssĕt*, 435_2 *animūmquĕ cōgnōssĕt.*

At *cognovisset* scriptura rhythmo magis respondet etiam 190_5 *in proximum annum īmpĕrĭūm cōgnōssĕt* [*īmpĕrĭŭm cōgnōvīssĕt* Par.].

122_{11} sqq.: Caput est de Acilii fortitudine. *At Cynegirum Atheniensem simili pertinacia in consectandis hostibus usum verbosa cantu laudum suarum Graecia omnium saeculorum memoriae litterārŭm prǣcōnĭ(o) īncūlcāvĭt* [*praecōnĭ(o) īncūlcăt* L A].

Statim clausulae evidenter ostendunt codicum verba esse defendenda. Neque enim est, quod tempus praesens falsum esse iudicemus[3]). Nam similiter legimus: p. 389_{14} sqq. *Athenis autem compluribus annis moratus* [Democritus]

---

[1]) Cf. p. 44, 46, 47.

[2]) De hoc loco lege p. 54 sub 161_{14}.

[3]) Cf. Draeger l. a. I p. 229; Jul. Lebreton „Études sur la langue et la grammaire de Cicéron" Paris 1901 p. 243 sqq.

omnia temporum momenta ad percipiendam et exercendam doctrinam conferens ignotus illi urbi vixit, quod ipse quodam volūmĭnĕ tēstātŭr; 408_{21} sqq.: *Asinius etiam Pollio, . . . in tertio historiarum suarum libro centum illum et XXX annos explēssĕ cōmmĕmŏrăt*; 408_{27} *Aethiopes, quos Herodotus scribit centesimum et vicesimum annum transgredi*; 409_{3} sqq.: *Hellanicus vero ait . . . eique suscribit Damastes*; praeterea: 51_{6}, 261_{28}, 407_{16}, 440_{12}. Quae cum ita sint, censemus voces illas esse servandas.

134_{5}: *Haec e pectoribus altis et eruditis orta sunt, illud tamen non minus admirabile sērvīlĭs ănĭmŭs cēpĭt.*

Ante *cepit* syllabam quandam excidisse iam Halmius sensit et numerus oratorius indicat. At contra Halmium, qui *servilis ănĭmŭs cōncēpĭt* legere vult, nos proponimus: *illud* — scil. cruciatus, quos servus sua sponte tolerabat — *servilis ănĭmŭs sŭscēpĭt.* Facile vero fieri potuit, ut librarius post *animus* syllabam *sus* omitteret. Quod ad *concipiendi* verbum pertinet, Novak haec scripsit: „animadvertendum est illud etiam, admodum parcum esse verbi concipiendi apud Valerium usum. Nam praeter IV 1,10 *illum verbis conceptis peierasse* et VII 2,5 *si quid irae conceperant* nisi de partus conceptu non utitur ille hoc verbo“[1]) (sequuntur loci 42_{12}, 198_{26}, 200_{14}, 267_{7}, 467_{2}). Econtra *suscipiendi* verbum hoc loco positum cum Valerii sermone optime congruere existimamus. Habes enim 94_{23} *cum de imperio et auspicio inter vos disceptationem susceperim*, 148_{17} *populum Romanum bella suscipere solere*; alia 189_{16}, 264_{4}, 437_{4}, 447_{5}.

136_{19} sqq.: *Non parvus consulatus rubor M. Perpenna est, utpote [quam] consul ante quam civis, sed in bello gerendo utilior aliquanto rei publicae Varrone īmpĕrātŏr* [*īmpĕrātōrĕ* LA Halm]. Codicum voces a Kellerbauero et Kempfio male esse mutatas et *imperatoris* substantivum adiungendum esse *Varrone* ablativo, non *utilior* adiectivo, cum contextus

---

[1]) R. Novak l. a. p. 51.

sermonis tum clausulae dilucide demonstrant. Valerius enim *imperatoris* nomine in fine membrorum saepe utitur, ut aptus rhythmus exhibeatur: 35_{19} *ex altera acie īmpĕrātōrĕm*; 116_{21} *quem relaturus sum īmpĕrātōrĭs*; 229_{28} *decus īmpĕrātōrĭs*, 416_{18} *esset īmpĕrātōrĕm*. Scriptor etiam tales appositiones semper fere cum nominibus propriis arte coniungit ut: 67_{17} *Fulvius Flaccus imperator obsedit*; 212_{31} *T. Quintius Flamininus imperator*; 319_{18} *ad Scipionem imperatorem pertractus est*; alia reperiuntur 146_{13}, 216_{12}, 275_{3}, 344_{1}, 354_{2}, 364_{15}, 429_{25}, 436_{13}, 446_{9}, 447_{14}.

161_{14} sqq.: *Iacebat* [Alexander Magnus] *aeger Tarsi, inque valitudine eius adversa instantis v i c t ō r ĭ ǣ s p ē s f l ū c t ŭ ā b ă t.* Recte nobis N o v a k commendare videtur *flūctŭābātŭr*, „nam tamquam deponenti utitur Valerius verbo fluctuandi“ [1]). Cui coniecturae etiam rhythmus magnopere favet. *Fluctuandi* verbum deponens invenitur: 111_{7} *quoniam adhuc . . . dubio mentis iūdĭcĭō flūctŭātŭr*; 277_{19} *ancipiti igitur casu salus eorum flūctŭābātŭr*; 374_{19} *eadem haesitatione . . . animus flūctŭātŭs ēst*; 448_{18} *itaque exiguo momento māxĭmǣ reī cāsūs flūctŭātŭs ēst.* Itemque Novakio volenti etiam **251_{22}** *gravi illum et periculosa valitudine in Germānĭā flūctŭārī cōgnōssĕt* [*fluctuārĕ cōgnōssĕt* L A] numeris respectis assentiri possumus.

206_{18} *et ipse extinctus est et D. Brutus p e r ī c ŭ l(um) ē v ā s ī t m ō r t ĭ s* [*evasit mortis* **A**, signis transpositionis m. 2 add. [2])].

Certum est *perīcŭlūm mōrtĭs ēvāsĭt* collocationem Valerianam esse [2]), nam uno loco excepto: 221_{20} *idem ēvāsĭt ēxēmplŭm*, molossica forma *ēvāsıt* semper in fine sententiarum est ea de causa, quod elegantem numerum explet, ut 52_{5} *accensus vocālĭs ēvāsıt*, 218_{30} *insigni pugna clārŭs*

---

[1]) R. N o v a k l. a. p. 31|2.

[2]) A codicis man. 2 virtutes egregie illustravit J. S c h n e t z „Ein Kritiker des Valerius Maximus im 9. Jahrhundert“ Neuburg a. D. 1901; cf. etiam p. 59 et 61.

ēvāsĭt, 312_{13} *sanctitatis spĕcĭmĕn ēvāsĭt*; cetera invenies 47_{20}; 163_{4}; 251_{28}; 316_{7}; 317_{19}; 378_{20}; 426_{4}. Atque manifestum est p. 221_{20} *evāsĭt ēxēmplŭm* positum esse, ut hiatus evitaretur. Denique conferas velim 208_{4} *solutus erat periculo mortis*, 265_{15} *sūpplĭcĭō mōrtĭs ăffēcĭt*; 199_{13}; 205_{5}; 219_{17}.

213_{5} sqq.: *iterata deinde pronuntiatiōnĕ praecōnis tanta caelum clamoris alacritātĕ cōnplevērūnt, ut* [*cōnplērūnt L, u* in ras. m. 2]. Ex eis, quae supra de imminutis verbi formis exposuimus[1], elucet L cod. lectionem *alacritātĕ cōnplērūnt* germanam esse. Item habes: 81_{22} *septimum ānnŭm īmplēssēnt*, 408_{23} *ánnōs èxplēssĕ còmmĕmŏrăt*, 440_{14} *ponderōsĭŭs ēssĕt ēxplēssĕ*; cf. Cic. in Verr. V_{142} *cum sanguis os oculōsquĕ cōmplēssĕt.*

223_{8} sqq.: *quis autem illam* [dexteram Alexandri Magni] *osculari non cuperet, quae iam fato oppressa maximi exercitus conplexui humanitate quam spiritu vīvĭdĭōr sūffēcĭt?* [sic Madvig, Kempf; *vīvĭdĭōrĕ sūffēcĭt* LA Halm]. Madvig asseverat hic non agi „de humanitate spirituve vivido, sed de manu morientis vivida“[2]. Immo vero agitur de humanitate, non de manu Alexandri. Atque eo magis apparet hoc loco humanitatem Alexandri a Valerio praedicari, quod totum caput est *de humanitate et clementia.* Sensus autem enuntiati supra allati est hic: tam vivida erat Alexandri humanitas erga exercitum, ut etiam moriens manum suam omnibus militibus offerret. Valerius autem *vividiōrĕ* ablativum de industria ante *sūffēcĭt* collocavit, quod ablativi in *-ōnĕ*, *-ōrĕ* exeuntis ope clausulas facere solet[3]. Exempli gratia proferimus: 12_{2} *mores natiōnĕ pĕrpĕndĭ*; 42_{3} *sermōnĕ vūlgāvit*; 89_{20} *tenōrĕ dēscīvĕrīnt*; 188_{22} *sepulturae honōrĕ cărŭīssĕt.*

---

1) Cf. p. 44, 46, 47, 52.

2) J. N. Madwig „Adversaria critica“ II 323, Hauniae 1873.

3) Cf. Wolff l. a. p. 626 sqq.; Skutsch Phil. N. F. XV p. 194; Ziegler l. a. praef. p. XXVII.

225_3: *Cuius tam mitis ingenii debitum fructum ultimo fatī sŭī tḗmpŏrĕ cḗpĭ̆t* [sic Stanger, Halm, Kempf; *temporere coepit* L, *tēmpŏrĕ rĕcēpĭt* A][1]).

Iniuria memoriam *tēmpŏrĕ rĕcēpĭt* reiectam esse clausulae manifeste docent. Quo accedit, quod auctor *fructum capere* locutione nusquam utitur, sed *fructum recipere*: 386_{14} *Graeca quoque industria . . . quem meretur fructum Latina lingua recipiat* et similiter 162_2 *dignissimam a dis immortalibus mercedem recepit.* Censemus igitur *tēmpŏrĕ rĕcēpĭt* voces conservandas esse, praesertim cum eandem cacophoniam *re -re* habeamus 131_{18} *quae ubi pēctŏrĕ rĕcēptā* (*e*)*st.* Structuras autem eadem ratione formatas satis saepe invenimus ut: 154_{20} *discrīmĭnĕ rĕcēssĭt*, 235_8 *tali prīncĭpĕ cărērĕt*, 249_{13} *se feritatis crīmĭnĕ rĕdēmĭt*, 250_{19} *infāntĭæ tēmpŏrā pĕrēgĭ*, 345_{25} *suorum pēctŏrā rĕplēvĭt*[2]).

225_{16}sqq.: *ossaque ei Pyrri aurea inclusa urna Epirum in patriam ad Alexandrum frātrĕm pōrtāndă dĕdĭt.* Notatu dignum est, quod in fine huius capitis rhythmus neglegitur et gerundivum adiungitur *dandi* verbo, quod Valerius hoc loco excepto bis tantum habet: 7_{20} *dēscrībēndūm dĕdīssĕt* et 71_2 *aquam puerīs bĭbēndām dĕdĭt.* Cum igitur *tradendi* nomen a scriptore frequenter cum gerundivo coniungatur ut 37_3, 47_{26}, 138_{21}, 161_{25}, 175_{11}, 212_{18}, 222_9, 232_6 etc. et hoc ipsum legamus 226_{11} *et ossa eius in patriam portanda mīlĭtĭbūs nōstrīs trādĭdĭt*, colligimus hic scribendum esse *frātrĕm pòrtāndă trādĭdĭt.* Quae emendatio numeris quoque bene respondet. Simile mendum est 287_5 *M. enim Claudium senatus Corsis, quia turpem cum his pacem fēcĕrāt, dēdīdĭt* [*dĕdĭt* LA; Kempfius recte *dēdĭdĭt*].

240_4sqq.: *Iam Solon,* [1.] *qui tam praeclaras tamque utiles Atheniensibus leges tulit, ut, si his perpetuo uti voluissent, sempiternum habituri fuerint imperium,* [2.] *qui Sala-*

---

1) De *coepit* et *cepit* formis confusis vide J. Schnetz „Neue Untersuchungen zu Valerius Maximus“, Progr. Würzburg 1904, S. 14.

2) De accentu huius modi clausularum cf. p. 32 annot. 1.

minam velut hostilem arcem ex propinquo saluti eorum inminentem recuperavit. [3.] *qui Pisistrati tyrannidem primus vīdĭt ŏrĭēntĕm, solus armis opprimi debere palam dīctĭtār(e) ēst āusŭs, senectutem Cypri prŏfŭgŭs ēxēgĭt, neque ei in patria, de qua optime meruerat, humari contigit.* [*est* om. L¹A, post *ausus* supplent edd. vett., ante h. v. Halm[1])]. L¹A *dīctĭtār(e) āusŭs* omissa forma *est* recte tradidisse iudicamus. Praeterquam quod haec lectio multo meliorem clausulam exhibet quam Halmiana, apertum esse nobis videtur verba *solus armis . . . dictitare ausus* esse participium coniunctum et adiungenda tertio enuntiato relativo *qui Pisistrati . . . vidit orientem.* Namque Valerius illas voces, si sententiae relativae loco putasset, nostro quidem iudicio aut cum antecedenti enuntiato coniunxisset *et* particula aut *qui* pronomen concinnitatis causa repetisset. Ergo a parte L¹A codicum stamus. Si quis autem *est* copulam supplet, saltem cum editionibus vulgatis scribendum esse *dīctĭtār(e) āusŭs ēst* numeri docent[2]).

301$_{16}$: *Is* [Aristides], *pōstquām rēm cōgnōvĭt, classem illum* [Themistoclem] *Lacedaemoniorum . . . velle incendere . . . processit ad cives . .* [*postquām rĕcōgnōvĭt* LA Halm]. Rursus Kempfius male secutus esse nobis videtur Madvigium, qui pro *recognovit* ponens *rem cognovit* coniecturam defendit ipsis his verbis: „Nulla haec recognitio est, sed ignotae ante rei cognitio“[3]). Nos autem opponimus: primum Madvigii lectione deleri rhythmum; tum *recognoscendi* vocabulum apud Valerium satis saepe notionem habere „kennen lernen, erfahren und prüfen“ ut: 12$_3$ *Dionysius tot sacrilegia sua, quot iam recognoscemus* [*iăm rĕcŏgnŏscĭmŭs* LA nec dubitamus, quin id Valerianum sit], *iocosis dictis prosequi voluptatis loco duxit* [de Dionysii sacrilegiis antea non disputatum est]; 169$_1$ *eodem enim tempore et quantum*

---

1) Cf. Kempf in editione maiore p. 415.

2) De *esse* copulae collocatione cf. p. 35/6.

3) Madvig l. a. II 326.

amisisset principem et qualem haberēt rĕcōgnōvĭt; 302_{20} *quam* [fidem publicam] *semper in nostra civitate viguisse et omnes gentes senserunt et nos paucis exemplis recognoscamus*; 311_3 *Multum animis hominum et fiduciae adicere et sollicitudinis detrahere potest morum ac fortunae in claris viris recognita mutatio. . .* Quapropter existimamus *recognoscendi* verbum hic suo loco stare; Aristides enim postquam comperit et exploravit, quid Themistocles sibi proposuisset, *processit ad cives et . . .* Denique Valerianum non est dicere *postquam rem cognovit*, si id, quod aliquis comperit, exprimitur sententia pendente a *cognoscendi* verbo velut: 121_{17} *postquam cognovit a quodam gentis huius iuvene se ad dimicandum provocari*; 437_{10} *Q. Metellus . . . postquam cognovit Q. Pompeium . . . successorem sibi mitti.* Quibus de causis defendimus codicum voces: *is postquām rĕcōgnōvĭt, classem. . .*

313_{20}: *gessit etiam se intĕgērrĭm(e) ātquĕ splēndĭdīssĭmĕ.* Antea (p. 42sqq.) dictum est *atque* particulam ab auctore in clausula ante consonantem ideo esse positam, ut melior numerus efficeretur. Sed cum hoc loco rhythmus *atque* voce multo peior fiat et alibi ante *s, sp* etc. semper *ac* vel *et* positum sit, colligimus *atque* particulam corrigendam et scribendum esse *integerrĭm(e) āc splēndĭdīssĭmē.*

339_9: *His uno adiecto levioris notae exemplo ad extērnă rĕvĕrtăr* [*cōnvērtăr* margo A, *dēvērtăr* cod. Leid. Torrenii]. Clausulis spectatis nos quoque Kempfio prorsus assentimur censenti *revertendi* verbum reiciendum esse, praesertim cum auctor in illo capite de externis exemplis nondum disseruerit. *Convertar* autem et Heraei[1]) *praevertar* nobis minus placent. Vt Kempfio ita nobis quoque voces *ad extērnă dēvērtăr* optimae videntur esse. Dicit enim Valerius 158_2 *itaque stilo meo ad externa iam delabi permittam.*

342_{26} *Huic vaframento consimilis īllă cāllĭdĭtas* [*superiori*]. *Hannibal a Duilio consule navali proelio victus*

---

[1]) W. Heraeus „Spicil. criticum" p. 615.

timensque classis amissae poenas dare, offensam astutia mire avertit [*mire* A^2 Par. om. LA^1, neque vero hoc ipse adiecisse vid. Par.]. *Superiori* glossema esse probant clausulae. Itemque Novakio[1]) assentimur suadenti, ut *mire* deleatur. Legimus igitur *astūtĭ(a) ăvértĭt.*

344_{16}: *nam cum spectandorum ludorum gratia magna Volscorum mūltĭtūdō Rōmām cōnvēnīssĕt* [*convenisset* L, dett. et, ut vid., A^1; *Rṓmăm vènīssĕt* A^2 Par.][2]). Scriptura *Rōmăm vēnīssĕt* praestare nobis videtur. Vt omittamus has voces multo numerosius cadere, Valerius *conveniendi* verbum non adhibet nisi eis locis, quibus finis vel causa, cur homines conveniant, *ad* praepositione cum substantivo iuncta significetur. Sunt autem hi:

30_{11} *maesti et taciti milites ad principia convenerunt*; 212_{28} *cum ad Isthmicum spectaculum tota Graecia convenisset*; 258_{16} . . . *et locum, in quem hi convenissent*; 401_7 *eo cum forte mane uterque in domum Calvini Domiti ad officium convenisset.* At *veniendi* verbum habes: 118_{19} *quo spectaculo attoniti hostes postero die ad eum supplices pacēm pĕtēntēs vēnērūnt*; 165_4 *cum in consulatu eius Siculi de eo questum in ūrbēm vēnīssènt*; 435_{17} *cum ad eum postero comitiorum die multi consulendi cáusā vènīssēnt*; 451_{20} *qui cum cum coniugibus ac liberis squalore ōbsĭtī sūpplĭcēs Rōmăm vēnīssēnt.* Quibus expositis arbitramur esse scribendum *multitudo Rōmăm vēnīssĕt.* Eisdem de causis praeferimus **109_7** sqq. *et ad eum tribunum pl. Latini de cīvĭtāt(e) ĭmpĕtràndā vēnīssēnt* [sic Par., *cṓnvēnīssēnt* contra rhythmum LA Halm, Kempf].

361_4: *Genucius quidam Matris magnae Gallus á Cn. Orēstĕ prǽtōr(e) ūrbĭs īmpĕtrāvĕrăt ut* . . . [*p̃. r̃. urbis* LA^1, *praetore urbano* margo A e Paride, Halm]. Lectionem *Orēstĕ prǽtṓr(e) ūrbăn(o) īmpĕtrāvĕrăt* esse „unice veram"[3])

[1]) Novak, „Wien. Studien" XVIII, 1896 S. 280.

[2]) De A^2 cf. p. 54 annot. 2.

[3]) Heraeus „Spicil. crit." p. 618.

numeri egregie comprobant. Itemque lege **360**$_{18}$ *Pisonis praetōrĭs ūrbānī cōnstĭtūtĭō*, non cum LA Par. *praetōrĭs ūrbīs cōnstĭtūtĭō.* Accedit, quod auctor *praetoris urbani* appellationem usurpat 7_{12}, 139_{15}, 361_{17}, 447_{4}. Constat igitur *praetore urbis* et *praetoris urbis* verba Valerii non esse. Vitium ortum videtur e compendio *praetore urb.* [1]).

394$_{16}$ *Scaevola autem, quietis et remissionis eorum certissimus testis, optime pila lusīssĕ trādĭtŭr* [sic Par., *tradi**tur* L, *tradicitur* A[1]]. Cum etiam rhythmus ostendere videatur, syllabam aliquam excidisse, conicimus Valerium scripsisse *lusīssĕ trādĭtŭs ēst.* Eodem enim modo legis 396_{20} *Pisistratus dicendo tantum valuīssĕ trādĭtŭs ēst.* Quod ad accentum *trādĭtŭs ēst* pertinet, duas breves *esse* copulae praecedentes semper clausulae arsin faciunt ut: 27_{4} *eiusdem generis monstra aliō tŭmūltū crēdĭtă sūnt*; 141_{19} *domūm rĕvērtī sŏlĭtŭs ēst*; 156_{16} *domestica quies seditionum agitātă flūctĭbŭs ēst*; 462_{14} *non prius decessīssĕ cōgnĭtŭs ēst.* Sin autem *esse* copulae forma duas breves habet ut *ĕrăt, fŭĭt*, prior cum extrema brevi vocis antecedentis arsin explet velut: 181_{2} *gloria ex iis partā rĕfērtă fŭĭt*; 194_{2} *nostrǣ vĕrēcūndĭă fŭĭt*; 261_{15} *īntŭērī nĕcēssĕ fŭĭt*; 276_{7} *cui custodiēndă trādĭt(a) ĕrăt*; 435_{26} *praetūr(am) ădēptŭs ĕrăt.*

401$_{15}$ sqq.: *Sed ut alienigena scrutemur, cum obscurato repente sole inusitatis perfusae tenebris Athenae sōllĭcĭtūdĭn(e) āngĕrēntŭr*, . . . [sic Par. Lipsius; *ăgĕrēntŭr* LA]. Quo loco a LA codd. stamus, cum verba *sollicitūdĭn(e) ăgĕrēntŭr* clausularum lege postulentur neque offendant sermonem latinum. Simili enim modo legis: Sall. orat. Phil. 11 *agitur enim* [scil. Lepidus; *angitur* Aldus] *ac laceratur animi cupidine et noxarum metu, expers consilii, inquies, haec atque illa temptans*; Verg. Aen. IV_{465} *agit ipse furentem — in somnis ferus Aeneas*; VII_{405} *reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi*; Hor. epod. V_{89} *Diris agam vos* . . .; VII_{17} *acerba fata Romanos agunt*; epist. I 19_{25} . . . *et agentia*

([1] Cf. Th. Mommsen „Röm. Staatsrecht"[3] II p. 194 annot. 2.

verba Lycamben; Ovid. epist. IV_{47} . . . *ut Bacchi furiis Eleleidis actae*; Metam. XIV_{750} *ad aures venit Anaxaretes, quam iam deus ultor agebat.* Alia invenies in thesauri linguae latinae tomo I p. 1370/1.

401_{26} sqq.: *Tenet visentis Athenis Volcanus Alcamenis manibus fabricatus: praeter cetera enim perfectissimae artis in eo procurrentia indicia etiam īllūd mīrāntŭr, quod stat dissimulatae claudicationis sub veste leviter vestigiūm rĕpraesēntans, ut non exprobratum tamquam vitium*, [sic L et dett. omn. praeter D; ''*exprobrans* '*tamquã* in ras. m. 2 A; *tamquam exprobrans* D; *exprobrans tamquam* Halm], *ita tamquam certam propriamque dei notam decōrē sīgnĭfĭcātăm* [*sīgnĭfĭcāns* L A Halm]. Cum nostrum sit, de vocibus *ut non exprobratum . . . significatum* disserere, continuo e clausulis colligimus Kempfii coniecturam vix veram esse posse. Quamquam Kempfius ipse concedit[1] verba *ut . . . exprobrans, ita . . . decōrē sīgnĭfĭcāns* legibus grammaticis postulari, tamen mutat dicens *repraesentans* participium ad *statuam* subiectum logicum respicere posse, illa non posse. Quod non intellegimus, nam hoc loco per figuram dici apertum est. Accedit quod uterque codex praebet *significans*, cui *exprobrans* solum respondet. Praeterea probamus clausulis respectis A^2D scripturam *tamquam ĕxprŏbrans vĭtĭŭm*, praesertim cum etiam supra — p. 54 — A^2 ope genuinum verborum ordinem restituerimus[2]). *Exprobratum* L cod. sine dubio mendo librarii ortum est, qui extremam syllabam vocis persaepe cum postrema sequentis aequavit. Legimus igitur *ut non tamquam ĕxprŏbrāns vĭtĭŭm, ita tamquam . . . decōrē sīgnĭfĭcāns.*

413_{24}: *Candidis autem animis voluptatem praebuerint in conspicuo posita quae cuique magnifica merito contigerint,*

---

[1]) Kempf in Fleckeiseni annal. vol. 133, 1886 p. 61.

[2]) De adverbio collocato cf. C. F. W. Müller ad Cic. ad Att. I 14,3 in Mus. Rhen tom. 55, 1900 p. 636 sqq.

quia aeque praemiorum virtutis atque operum cōntēmplātĭō iūcūndā (*e*)*st*, [sic Ascensius; *iūdĭcāndā* (*e*)*st* LA Halm]. Ascensius, Foertsch[1]), Madvig[2]) aperta menda huius enuntiati sanarunt (inspicias velim apparatum criticum apud Kempfium), sed id unum comprobare non possumus, quod pro codicum *aeque . . . contemplātĭō iūdĭcāndā (e)st* voluerunt *contemplātĭō iūcūndā (e)st.* Imprimis rhythmus oratorius docet Ascensium rem acu non tetigisse. Iam vero non est, quod *iudicandi* verbum improbemus. Saepius enim hoc verbum eodem sensu atque *aestimandi* verbum admittitur ut 248_{8} *Phocion vero his dotibus, quae ad pariendum hominum amorem potentīssĭmē iūdĭcāntŭr . . .*; 250_{16} *ita proximum iudicari debet . . .*; 328_{16} sqq.: *quo colligebat non oportere nos quae fortuito patiamur praecipuae et intolerabilis amaritūdĭnīs iūdĭcārĕ* alia. *Aestimandi* verbum autem hic illic a Valerio cum adverbio coniunctum esse iam Blaumius explanavit[3]): 89_{16} *si tamen acta excellentissimorum virorum humiliter aestimare . . . permittitur*; 404_{16} *sapientissimi . . . professores sunt, a quibus et propria studia verecunde et aliena callide aestimantur*; praeterea 64_{15}, 352_{28}. Atque etiam *aeque* adverbium auctor addit verbis velut: 244_{2} *missi deinde sacerdotes cum infulis aeque sine effectu redierunt*; 278_{18} *immo et similiter adgressa et aeque experta patientem est*; 368_{5} *idque proximo exemplo aeque patet.* Quae cum ita sint, non videmus, cur codicum verba reicienda sint.

423_{3}. Liceat nobis clausularum ope quaestionem persolvere, quae ad verborum interpunctionem pertinet. Scribunt enim Halmius et Kempfius: *Quid enim sibi voluit princeps suorum temporūm Mĕtēllūs Pĭūs tūnc, cum in*

---

[1]) C. Foertsch „Emendationes Valerianae" III_{26} Progr. Naumburg a. S. 1870.

[2]) Madvig l. a. II 333.

[3]) R. Blaum „quaestionum Valerianarum specimen" progr. Strassburg 1876 p. 12.

Hispania adventus suos . . . Incisionem autem esse post *Pius*, rhythmus dilucide demonstrat. Eodem modo interpunge **65**$_{26}$ *Lupercālĭ(um) ĕnĭm mōs ā Rōmŭl(o) ĕt Rĕmo īnchŏātŭs ēst, tunc cum* . . . , non *īnchŏātŭs ēst tunc, cum*. . . et **275**$_3$ *Hoc movit C. Marium īmpĕrātōrĕm, tum cum* . . . non . . . *īmpĕrātōrĕm tŭm, cum* . . . [1]). Iisdem de causis lege **376**$_{11}$ *expensa ferrī sĭbī pāssŭs ēst, eo consilio ut* . . . , non cum Kempfio *ferrī sĭbī pāssŭs ēst ĕō cōnsĭlĭŏ, ut* . . . , praesertim cum Kempfius recte scribat: 419$_2$ *Gorgiae vero Leontino studiis litterarum aetatīs sŭæ cūnctōs prǣstāntĭ, adeo ut primus* . . . vel 434$_3$ *qui vivorum corpora cadaveribus adversa adversis āllĭgāt(a) ātquĕ cōnstrīctă, ita ut*. . . Quas res scire futuri editoris Valerii aliquid interesse putamus.

442$_7$ sqq.: *Ille vero* [Cn. Pompeius] *etiam in foro non erubuit P. Scipionem socerum suum legibus obnoxium, quas ipse tulerat, in maxima quidem reorum* [*et*] *illustrium ruina muneris loco a iudicibus deposcere, maritalis lecti blanditiis statum rei pūblĭcæ tĕmĕrāndŏ* [sic Perizonius, Halm, Kempf; *tēmpĕrāndŏ* L A Π].

Quamquam concedimus Perizonii mutationem levem et verisimilem esse, tamen numeros ita impugnat, ut vel inde intellegi possit hanc coniecturam esse reiciendam. Ac persuasum habemus codicum verba esse vera, praesertim cum elegantem rhythmum faciant et Valerii generi dicendi respondeant. Cum enim *temerandi* vocem nusquam ab auctore usurpatam inveniamus, *temperandi* verbum significans „leiten, mildernd beeinflussen, einrichten in Gemässheit von etw. anderem" saepe adhibetur ut: 78$_1$ *cognitione virili benevolentia temperata*; 159$_{12}$ *placidi et misericordes et liberales omnique suavitate temperati mores Phocionis*; 265$_{20}$ sqq. *sed ut hanc incitatam et asperam severitatem*

---

[1]) In idem erratum C. F. W. Mueller quoque incidit distinguens Cic. in Verr. II § 70 *qui Sacerdoti quoque in in cōnsĭlĭō fŭĕrānt, tum, cum* . . . , ubi sine dubio interpungendum est . . *in cōnsĭlĭō fŭĕrānt, tum cum* . . . ; cf. in Verr. II$_{160}$, V$_{127}$.

mitiores relati patrum mores clementiae suae mixtura temperent; 339_{13} *salubri consilio patriam indulgentiam temperavit*; alia 59_3, 69_{28}, 174_{16}, 389_{25}.

459_3 *quem quid aliud quam nimio gāudĭ(o) ēnēctūm pŭtēmŭs?* Veri simillimum est codices hic vitiose scriptos et legendum esse *gaudiō nĕcātūm pŭtēmŭs?* Primum enim haec verba bonam clausulam faciunt, cf. 181_{24} *sŭccūrrĕndūm pŭtārēnt*, 428_{28} *ădsĕrēndūm pŭtāvĭt*. Deinde Valerius aliis locis semper *necandi* verbo utitur: 162_{25}, 197_9, 246_{26}, 255_2, 263_{21}, 272_1, 287_7, 289_{17}, 297_{24}, 430_{17}, 432_{21}, 433_1, 449_{25}; *necatus*: 374_{14}, 470_{12}. Credimus igitur *enectum* formam sicut *adiuvarat* et *adiuvavit* — cf. p. 50 — a librario suppositam esse.

470_{10}: *ceterum decreto eius extra Italiam relegatus, postquam ille caelo receptus ēst, ĭn ū r b ē m r ĕ d ĭ ĭ t et...*

Secundum ea, quae semel atque iterum de imminutis verbi formis exposuimus — cf. p. 44, 46, 47, 52 etc. —, manifestum est hic legendum esse *ēst ĭn ūrbēm rĕdĭt.* Quae emendatio confirmatur locis quales sunt hi: 166_7 *in grātĭām nōn rĕdīssĕ*, 390_{14} *Anaxagorās ăd ĕōs rĕdīssĕt*; sed *rĕdĭĭt* forma vera est 36_{23} *pedibūs dŏmūm rĕdĭĭt*, 450_{22} *tardius ad Cāssĭūm rĕdĭĭt* [*redit* A].

Denique addamus complures locos, de quibus accuratius disputare nolumus, quia iam pridem sanati et emendati sunt. Sed haec exempla proferimus, ut denuo demonstremus, quotiens emendationes contextu ac sensu postulatae probentur nec minus mutationes iniuria factae reiciantur clausulis: 10_{11} *immunitatem consimilis iniūrĭæ părĕrĕt* [*părārĕt* E b e r h a r d male]; 22_{19} *nocte concubia nuptiālĕ pĕtĭt ōmĕn* [ita Par.; *nuptiālĭă pĕtĭt ōmĕn* L A]; 28_{28} *et ibi scapham ĕssĕt īngrĕssŭs* [*īngrēssūrŭs* S t a n g e r male]; 31_{14} *sonum tympanorum Pergami abdĭtīs dēlūbr(i) ēdĭtūm* [ita Lipsius recte; *ābdĭtīs dēlūbrīs* L A]; 33_{14} *nec vānă prœdīctĭ(o) ēxtĭtĭt* [*prœdĭcātĭ(o) ēxtĭtĭt* L A[1]]; 52_2 *Hoc modo fortuna sǣvĭēns vōc(em) ădēmĭt, illo propĭtĭă*

dōnávĭ̆t [*dōnă̆t* LA]; 78_{20} *e . . . eloquēntĭæ̅ fōntĕ mānābă̆t* [*ēmānābă̆t* Halm male]; 102_{6} *in ūrbĕ mānsērūnt* [*rĕmān-sērūnt* Par. Halm male]; 124_{6} *centurionatus honōrĕ dōnātă sūnt* [ita ed. vet.; *dătă sūnt* LA male]; 233_{14} *in lēctùlō lābĕrētŭ̆r* [*dīlābĕrētŭ̆r* Perizonius male]; 324_{7} *lāudĭbūs cōn-tĭnērētŭ̆r* [ita Par.; *cṓntĭnĕatŭ̆r* LA male]; 373_{6} *tota cōntĭ̆(o) ōpprēssĭ̆t* [*cōgnĭtĭ̆(o)* L et dett. aliquot male]; 374_{5} *desi-derium ēiŭ̆s ēxplēvĭ̆t* [*ēxplicāvĭ̆t* margo A e Paride male]; 389_{12} *studiis litterarum ēssĕt ŏ̀pĕrătŭ̆s* [*ŏ̀pĕrātūrŭ̆s* Peri-zonius male].

Locorum qui diligentius tractantur conspectus

Vita.

Natus sum Victor Muench die XXIII mensis Martii anni 1883 in Silesiae vico, cui est nomen Kallendorf, patre Henrico, matre Anna e gente Franke; parentes immatura morte mihi abreptos valde doleo. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus gymnasium Vratislaviense ad St. Matthiam frequentavi. Vere anni 1903 maturitatis testimonio instructus hanc almam matrem Viadrinam petii, ut iurisprudentiae operam navarem. Sed anno exacto ad classicas litteras me contuli, quibus adhuc incubui. Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner, Cichorius, Dahn, Ebbinghaus †, Fischer, Foerster, Freudenthal †, Hoffmann, Jacoby, Jörs, Kampers, Kaufmann, Kühnemann, Leonhard, Norden, Schaefer, Semrau, Skutsch, Sombart, Stern, Triebs, Wendland, Ziekursch.

Proseminariorum et seminariorum philologici, historici, archaeologici sodalis fui ordinarius, quae moderabantur Cichorius, Foerster, Kampers, Norden, Skutsch, Wendland, Ziekursch.

Quibus omnibus iustas ac debitas et nunc ago gratias et semper habebo, maximas vero Francisco Skutsch, qui nascenti huic opusculo permagnam impendit curam.

Theses.

1) Dindorfio legenti in Aeschyli Choeph. v. 47 „πεσόντος αἵματος πέδοι“ pro M codicis „πεσόντος αἵματος πέδῳ“ non assentior.

2) Xenophon rhetorice scripsit.

3) Theocriti id. XXIII versus 30/31 genuini sunt.

4) In Valerii Maximi l. III 7 ext. 4 legendum est: *simulacro enim . . . perfecto, quo nullum praestantius aut admirabilius humanae fabricarunt manus.*

5) In Valerii Maximi l. V 8,2 *multisque aliis rebus populariter actis* pono *gestis* pro *actis.*

6) Taciti quae vocatur Germania consilium morale aut publicum non sequitur.

7) In Suet. Claud. 19 cum Ihmio lego: *civibus vacationem legis Papiae Poppaeae, Latino ius Quiritium, feminis ius IV liberorum.*